




DE NUMMO ARGENTEO
BENEDICTI III. P. M.
DISSERTATIO.

DE
NUMMO ARGENTEO
BENEDICTI III.
PONT. MAX.
DISSERTATIO


IN QUA PLURA AD PONTIFICIAM HISTORIAM ILLUSTRANDAM, ET JOANNÆ PAPISSÆ FABULAM REFELLENDAM PROFERUNTUR.

ACCEDUNT

NUMMI ALIQUOT ROMANORUM PONTIFICUM HACTENUS INEDITI

ET APPENDIX

VETERUM MONUMENTORUM.



ROMÆ cIↄ. Iↄ. cc. xxxxvIIII.

EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI
TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLÆ ROMANI.

SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO . DOMINO . NOSTRO

D. BENEDICTO . XIIII.

PONT. MAX.

REI . CHRISTIANAE

TVTORI . PROPAGATORI . VINDICI

PIETATE . DOCTRINA

ET . MVNIFICENTIA

TOTO . ORBE

SEMPER . AC . FELICITER . CELEBRANDO

PRINCIPI . OPTIMO

ET . PROVIDENTISSIMO

BONO . REI . PVBLICAE

NATO

IOSEPHVS . GARAMPIVS . ARIMINENSIS

DEVOTVS . NOMINI . MAIESTATIQ. EIVS



DE NUMMO ARGENTEO
BENEDICTI III.

DISSERTATIO.



Nsigne tibi Beatissime Pater veterum Decessorum tuorum Nummariæ supellectilis dico consecroque Monumentum, quod magno (ut censeo) Historiæ lumini, atque huic Apostolicæ Sedi decori futurum, nunc primum e tenebris mea opera in lucem profertur. Nummus est Benedicti III. Pont. Max. eruditis hactenus incognitus, quo non modo tanti Pontificis nomen mirifice illustratur, verumetiam notum illud & impudentissimum Joannæ Papissæ commentum, quo Heterodoxorum plerique adhuc non parum delectantur, funditus exploditur. Hoc nostrorum temporum studia pepererunt, ut illustrata plurimum historia, quæ a Majoribus nostris gesta sunt magis magisque patefiant, & quæ fuerunt hominum fraude imperitiaque introducta facile detegi confutarique possint. Constat inter omnes quam late in præteritorum sæculorum barbarie fabula hæc

hæc ubique obtineret, adeout ne illi quidem, qui Apoſtolicæ Sedi addictiſſimi erant (quum temporum infelicitas, qua ratione ab ejuſmodi probro vindicari poſſet, eos videre non ſineret) ab ea probanda abhorrerent: ſed tandem craſſæ ignorantiæ tenebris emergentes ſeſe paullatim ſtudioſi (ſæculo præſertim XVI) effecerunt, ut tota impudentiſſimæ calumniæ falſitas plane appareret. Rejici ex eo tempore cœpta eſt, & ab omnibus ſanæ mentis hominibus, ceu fabula, ut erat, contemni & refutari. Egregie præ ceteris hoc in argumento verſati ſunt eruditiſſimi æque ac de Pontificia hiſtoria optime meriti Onuphrius Panvinius *(a)*, Florimundus & Carolus Remundus *(b)*, Cæſar Baronius *(c)*, Leo Allatius *(d)*, Petrus Lambecius *(e)*, Philippus Labbeus *(f)*, Antonius & Franciſcus Pagius *(g)*, Natalis Alexander *(h)*, Jo. Georgius Eckhartus *(i)*, ac inter ipſosmet Heterodoxos David Blondellus *(k)*, Guillelmus Godefridus Leibnitius *(l)*, Brownus *(m)*, aliique, quos longius hic referre non juvat.

Sed incredibile dictu eſt, quam ægre tulerint plerique Apoſtolicæ Sedis oſores tam bellam ſibi auferri occaſionem in Romanæ Cathedræ dignitatem ſuis vel concionibus vel colloquiis vel ſcriptis impune frequentiſſime debacchandi, cujus furfuris homines Claudium Salmaſium (ceteroquin doctiſſimum), Samuelem Mareſium *(n)*, Fridericum Spanhemium,

(a) Panvin. *in not. ad Platinam*.

(b) Florimundi Remundi *Error popularis ſeu fabula Johannæ &c.* interprete Carolo Remundo auctoris filio. *Coloniæ* 1618.

(c) Baron. *Annal. ad A.853. n.56.*

(d) Allatius *in Confutat. Fabulæ de Johanna Papiſ.* Exſt. etiam *in T.IX. p.779. Amœnit. Litter.* Schelornii.

(e) Lambec. *Bibl Vindob, lib.2I cap.8.*

(f) Phil. Labbeus *in Cenotaphio Johannæ Papiſſæ T.VIII. Concil. p.154. Ed. Pariſ.*

(g) Ant. Pagius *in Critica Baron. ad A.853. n.14.* Franciſcus Pagius *in Breviar. Rom. Pontif.*

(h) Natal.Alex. *Hiſt.Eccl.Diſſ.3. Sæc.IX.*

(i) Jo. Georg. Eckhartus *Rer. Franc. Orient. lib.30. c.119.*

(k) David Blondell. *Anacryſ. famoſæ quaſtionis de Johanna Papiſſa.*

(l) Leibnitius *in opere Mſ.* apud Eckhartum *loc. cit.*

(m) Brown. *Errori Popolari &c.*

(n) *Johanna Papiſſa reſtituta. Groningæ* 1658.

mium, Jacobum Lenfantium, Vignolium (a), Wagenseilium (b) aliosque, pluribus memorare piget. Eorum tamen longe turpior est vel impudentia vel imperitia, qui ne nunc quidem cessant infelici vulgo falsa imponere, & Romanam Sedem malunt, quoquo modo possunt, apud populares suos vituperare, quam recte sapere, aut, si sapiunt, incredibili non uti temeritate. Hos inter præcipui habentur Samuel Maresius, cui tamen Labbeus noster abunde satisfecit, & Spanhemius prædictus, cujus laboribus nunc maxime gloriantur. Anno primum 1691. prodiit Lugduni Batavorum ipsius *de Papa femina inter Leonem* III *& Benedictum* III *Disquisitio historica in* 8, tanta utique inter suos fortuna, ut brevi in Gallicam linguam ad faciliorem vulgi captum translata, additisque Jacobi Lenfantii, & Vignolii Ministri Brandemburgici curis, Coloniæ (seu potius Amstelodami) A. 1694 iterum prodierit hoc titulo: *Histoire de la Papesse Jeanne fidelement tirée de la Dissertation Latine de Mr. de Spanheim premier Professeur en l'Université de Leyde, in* 12. Eandem postea Hagæ Comitum A. 1720 voluminibus duobus *in* 12 recusam, & A. demum 1736 ibidem per Jacobum Vanden Kieboom variis Tabulis æri incisis adornatam conspeximus. Opus universum hic mea Dissertatione ad trutinam revocare mihi non est animus, quum in eo trita sint omnia, ex præteritorum calumniatorum scriniis descripta, & ad nauseam usque sexcenties repetita, ut mirum videatur homines sanæ mentis potuisse in medium ea ipsa proferre, quæ contra vetustiores hujus commentitiæ Papissæ defensores ab iis quos supra laudavi tum Catholicis viris, tum prudentioribus quibusdam suæ sectæ hominibus, fuerant plane solideque refutata.

In eo autem Spanhemius, Lenfantius, & Vignolius

B præ

(a) In Opere infra citando.

(b) Wagenseilii *Dissert. pro Joanna Papissa T.* I. *p.* 142. *Amœnit. Litterar. Schelornii.*

præ ceteris qui in hoc argumento elaborarunt, præclare ſe præſtitiſſe gloriantur, quod exiſtimarint congruum ſe temporis intervallum inveniſſe, in quo Papiſſæ ſuæ Pontificatum commode collocari poſſit. Id tamen ut facili negotio aſſequerentur, coacti ſunt bene conſtitutam Romanorum Pontificum Chronologiam, ab A. 827 ad A. 872 arbitratu ſuo perturbare, ut ad propria deliria eandem accommodarent. Itaque Leonem IIII translatum ad Superos fuiſſe contendunt Kal. Aug. A. 854., Benedictum III. non ante Septembrem A. 856 Apoſtolicam Cathedram conſcendiſſe; quare fieri, ut in illud temporis ſpatium, quod inter utrumque Pontificem hac ratione interceſſiſſet (nempe a Kal. Aug. A. 854 ad Septembrem A. 856) Joannæ Pſeudo Papiſſæ Pontificium incurriſſe defendi poſſit. Qua in re qualem navarint opem, ex ipſius Lenfantii verbis audiamus: „ On a renvoyè a la quatrieme Partie la plus conſiderable & la plus difficile de toutes ces objections, c'eſt „ celle qui eſt tirèe de la Chronologie. Au reſte dans cette „ derniere Partie, dont l'arrangement ſur les Memoires „ de Mr. Spanheim, demandoit & plus d'exactitude & „ plus de capacitè que je n'en ai, je n'ai pas crû devoir „ m'en repoſer uniquement ſur mes ſoins. Si cette diſcuſ- „ ſion Chronologique donne quelque ſatisfaction au Pu- „ blic, j'en aurai d'autant plus de joye qu'un de mes amis „ (*Mr. des Vignoles Miniſtre a Brandebourg*) y a la meilleu- „ re part. Si j'avois etè le ſeul qui eût interêt a cet Ou- „ vrage, je me ſerois moins defiè de moi meme, & j'aurois „ epargnè beaucoup de peine a cet obligeant & docte ami. „ Mais ayant a travailler ſur les Memoires d'un Auteur „ qui s'eſt acquis un ſi grand nom parmi les ſçavans, & „ particulierement dans l'Hiſtoire Eccleſiaſtique dont il „ s'agit ici, il etoit juſte que je priſſe toutes les precau- „ tions

(a) Preface num. 8.

„ tions necessaires, pour ne rien produire. comme de
„ lui, qui ne fut en effet digne de lui. Le Public pourra
„ en meme temps par cet echantillon juger de la capacité
„ de celui qui m'a si genereusement secouru.

Verum hac ipsa in re adversarios nostros & falsos esse, & ceteros fefellisse, hac Dissertatione confido me luculenter esse demonstraturum. Primum enim, eversis Spanhemianæ Chronologiæ fundamentis, Leonis IV. mortem an. 855 die 17. Julii contigisse probabimus; deinde Benedictum III. anno eodem duobus post mensibus cum dimidio, die nempe 29. Septembris subsequentis in Apostolica Cathedra suffectum fuisse, adeout nullus plane locus monstrosæ huic Joannæ relinquatur. Argumentum plane conficiet præclarissimus argenteus Nummus cusus a Benedicto III. sub Hlothario Imperatore, cujus Typum quem illustrare aggredior), fronti hujus Dissertationis præfixi. Quum enim Hlotharius Imp. 4 Kal. Octobris an. 855 mortem obierit, clare apparet eodem circiter tempore a Benedicto III. Pontificatum initum fuisse; quodque consecratus fuerit 3 Kal. Octobris ejusdem anni 855, infra pluribus confirmabo; proindeque eo tempore Nummum cudisse, quo nuntius de Hlotharii morte Romam nondum pervenerat. Rarissimum vero hunc Nummum meoque argumento accommodatissimum nactus sum humanitate viri optimi mihique familiarissimi Reverendi Patris Domni Gregorii Pignattii Cœnobitici Camaldulensium Ordinis Presbyteri, qui dum Procuratoris Generalis Comes in Urbe existit, selectam Pontificiorum Nummorum seriem summo studio sibi undique conquisivit & comparavit. Quapropter contigit illi ut quædam hujusmodi Cimelia repererit, quæ diligentissimorum hominum Vignolii, Floravantis, Scyllæ, aliorumque oculos effugerant.

Itaque te oro obsecroque, Beatissime Pater, ut velis

 hanc

hanc meam qualemcumque Commentationem grato animo excipere; digna est enim quæ Tibi Tuoque Nomini consecretur, non ipsa quidem per se (neque enim is ego sum qui putem quidquam posse ex me Te dignum proficisci); sed quia insignis Decessoris cujus & nomen habes, & egregia facta æmularis, memoriam illustrat, vindicatque a calumnia & dedecore eam Sedem, qua sublimius nihil est inter homines, quamque nunc Tu magno cum fructu & Christianæ Reip. bono feliciter tenes. Quæ sunt a Te in eximio Opere, quod est *de Servorum Dei Beatificatione (a)* &c. sapienter solideque scripta contra fabulosam ipsam planeque ridiculam Papissam, eadem in hac Dissertatione animadvertes magis magisque a me confirmari, ope præsertim ejus Nummi, qui neminem ratione uti volentem sinet deinceps ea de re dubitare. Reliquum est, Pontifex Optime, ut me Tibi ad pedes officiose provolutum benigne ut soles excipias, Tuaque Apostolica dones Benedictione.



CAP.I.

(a) Lib. III. cap. x. n. 3. & 4. Tom. III. Oper. SS. D. N. BENEDICTI XIV. Edit. Romanæ an. 1748.

C A P. I.

I. *Fabula de Joanna Papissa exeunte sæculo* XIII. *primum excogitata*. II. *Quibus argumentis hactenus ab eruditis viris refutata*. III. *Obiit Leo* IIII. *die* 17. *Julii*. IV. *Anno vero æræ Christianæ* 855. *Alemannus refellitur*. V. *Eligitur Benedictus* III.; *Imperatoris assensus*. VI. *Soli Hludovico Imperatori Decretum electionis perlatum*. VII. *Ubinam tunc esset Hludovicus*. VIII. *Imperatoris Legati Romam perveniunt*. *Benedictus consecratur*. IX. & X. *Probatur quod ejus consecratio die* 29. *Septembris inciderit*. XI. *Argumentum Papebrochii solvitur*. XII. *Anni & menses proleptice sæpe usurpati*. *Novæ Hlotharii & Hludovici* II. *Epochæ a doctis viris constitutæ, reprobantur*.

I. QUIDAM igitur cadente sæculo XIII. sceleſtiſſimi homines, quo hujus S. Apoſtolicæ Sedis dignitatem pro viribus imminuerent, confinxerunt mulierem quandam, cui eſſet *Joanna* nomen, inter Leonem IIII. & Benedictum III. Petri Cathedram tenuiſſe, in qua annos II. menſes V. dies VI. vel (ut aliis placuit) annis ſaltem II. menſe uno vel tribus, ſederit. Si rei tam incredibilis qui ſint teſtes, quæ teſtium auctoritas ex hiſtoriarum monumentis quæramus, maximam quidem Scriptorum copiam reperiemus, qui ei Fabulæ temere fidem adhibuerunt; at ſi eorum antiquitatem perſcrutemur, nullum XIII. ſæculo (eoque labente) inveniemus vetuſtiorem. Ptolemæus Lucenſis, qui (ut Saxius vir cl. obſervat,) inter an. 1312. & 1317. Hiſtoriam ſcripſit, luculenter teſtatur, quod *in hac ordinatione Pontificum oritur diſcordia circa Chronicarum Scriptores, quia* OMNES QUOS LEGI PRÆTER MARTINUM *tradunt poſt Leonem* IIII. *fuiſſe Benedi-*

ctum III. *Martinus autem ponit Joannem Anglicum* VIII.: Loquitur autem de Chronico Martini Poloni Ordinis Prædicatorum Clementis IIII. Pœnitentiarii, qui ad ejus usque mortem & Gregorii X. electionem an. 1271. factam suum opus primùm perduxit. Allatii tamen, & Lambecii, & Eckarti diligentiæ acceptum ferimus, quod pluribus vetustioribus hujus Operis MSS. Codicibus nihil tale scriptum narratumque fuisse a Martino Polono patefactum est. In iis enim cum nulla hujusce narrationis vestigia usquam appareant, quemadmodum nec in altero apparent ejusdem Operis membranaceo Codice, (a) quem ex præstantissima Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Nerii Corsinii optimi Litterarum Patroni, mihi communicavit doctissimus æque ac humanissimus Præsul Joannes Bottarius, & eidem & Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus; illud plane effectum est, non modo Fabulæ hujus auctorem non fuisse Martinum, sed ne ullam quidem ejusdem factam ab eo fuisse mentionem: Quapropter dubitandum non est, quin pluribus ejusmodi Codicibus fuerit circa XIV. sæculi initia aliena manu adjecta; quo sane modo etiam Mariani Scoti, & Sigeberti Gemblacensis Chronica, necnon Vincentii Bellovacensis Speculum corrupta fuerunt. Id optime Tu ipse animadvertisti Beatissime Pater in immortali Opere tuo *de Servorum Dei Beatificatione*, ubi scribis, *figmentum prædictum non a Martino Polono, sed ab Hæreticis proditum fuisse .... & Martini scripta fœdata ac adulterata fuisse ..... Vitiata fuisse quoque exemplaria Operum Mariani Scoti Hæreticorum fraude, Fabulam Joannæ Papissæ obtrudere volentium*; quod pluribus argumentis solide, ut soles omnia, confirmasti (b).

II. Sed

(a) *Cod. perg. Mss. in fol. num.* 1098. XIII. vel XIV. sæculi Bibl. Corsinianæ.

(b) Præstat hoc loco ad majorem argumenti nostri confirmationem integrum locum referre ex *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 3. *&* 4. *de Servorum Dei Beatificatione* [Tom III. Oper. SS. D. N. BENEDICTUM XIV. Edit. Rom. an. 1748.] ubi de fabula Joannæ Papissæ:

II. Sed quæ a viris doctissimis jam in medium allata fuerunt argumenta, quibus Fabula hujusmodi refutatur, hic exscribere non est necesse. Quæ enim ex Hincmaro *(a)*, Adone *(b)*, Lupo *(c)*, Concilio Tullensi *(d)*, Nicolao PP. *(e)*, Photio *(f)*, Bertinianorum Annalium *(g)* & libri Pontificalis *(h)* Auctoribus petuntur, & valida sunt, & omnibus jam nota. Scriptores autem, qui iisdem annis, quibus Joannæ Papissæ Pseudo-Pontificium assignatur, vixere, anteferri

pissæ: „ Scimus figmentum prædictum non a „ Martino Polono sed ab hæreticis proditum fuisse. Martini quippe scripta fœdata „ fuisse & adulterata invictis argumentis „ ostenditur ab Echard *T. 1. Script. Ord.* „ *Præd. ad A. 1278. pag. 361. & seq.* „ Extat exemplar Operum Martini Poloni „ in Biblioth. Angelica Urbis dono eruditissimi viri Lucæ Holstenii. Exhibet editio illa vetustissimum manuscriptum ipsi „ Martino Polono pæne coætaneum, summa fide & diligentia expressum, ubi de „ prædicta fabula Editor loquens hæc habet in præfatione: *Martinum Polonum* „ *a Basileinse Typographo eadem hac Fabula adauctum esse, solido satis probatur hoc argumento, quod a nostro antiquissimo aliisque quampluribus, quæ* „ *Suffridus Petri & Josias Simlerus viderunt exemplaribus, Fabella ex Lutheranorum latibulis eruta, impressisque Codicibus per magnam vel inscitiam vel imposturam inserta plane abesse, & semper abfuisse omnium oculis* „ *videatur & videri possit*. Additur Marianum Scotum floruisse sæc. XI. & Martinum Polonum sæc. XIII. & a Launojo in „ libello *de auctoritate negantis argumenti* asseri, Marianum Joannæ Papissæ testimonium perhibuisse; ex quo inferri „ potest, figmentum nunquam Martino Polono uti primo auctori esse adscribendum. „ At veritati ut obsequamur, quemadmodum Martinus Polonus a calumnia vindicatur, ita vindicari quoque debet Marianus Scotus, cum par utriusque sit causa. Auctor etenim præfationis Operum „ Martini Poloni supra laudatus hæc habet de Mariano Scoto: *Marianus Leonem proximum & immediatum antecessorem Joanna, centesimum secundum,* „ *Benedictum vero proximum & immediatum ejusdem Joanna successorem centesimum tertium a S. Petro Pontifice nullo* „ *pro Joanna numero relicto, enumerat.* „ Ex quo proinde evincitur, vitiata fuisse „ exemplaria quoque Operum Mariani Scoti, Hæreticorum fraude Fabulam Joannæ Papissæ obtrudere volentium. Marianum pluribus in locis vindicat Mabillonius & purgat; qui non ita se gessit erga „ Martinum Polonum, quandoquidem non „ vidit Monumenta quibus ille a ceteris „ vindicatur.

(a) Hincmarus Rhemens. *Epist. 26. ad Nicolaum I. PP.*

(b) Ado Viennen. *in Chron. T. XVI. Bibl. PP. Lugdun.*

(c) Lupus Ferrarien. *Epist. 103. T. II. p. 778. Hist. Franc. Script.* Andr. Du-Chesnii.

(d) Concil. Tullense A. 859. *Concil. T. VIII. p. 695. Edit. Paris.*

(e) Nicolai I. *Epist. 2. ad Michael. Imp. T. VIII. Concil. p. 273.*

(f) Bertiniani Annales ap. Du-Chesn. *Hist. Francor. Script. T. III. p. 208. & inter Rer. Italic. Script. T. II.*

(g) Photius *Lib. 2. de process. Spiritus Sancti*; apud Allatium *in Confut. Fab. Joh. Papissa.*

(h) Anastas. *in lib. Pontif.* in Leone IV. Bened. III. Nicol. I. & Adriano II.

teierri omnino debent iis qui cccc. & quod excurrit amplius annis posteriores, hanc Fabulam scriptis tradidere. Præterea vero, nonne & Rheginonis (*a*), & Liutprandi (*b*), & Frodoardi (*c*) (qui sæculo x.), & Leonis IX. (*d*), & Hermanni Contracti (*e*), & Lamberti Schafnaburgensis (*f*) (qui sæculo xi.), & aliorum plurium (qui sequentibus floruerunt) tanta est consensio, ut etiam si laudati deessent Scriptores coævi, istis potius qui ad confictæ Papissæ tempora propius accedunt, quam iis qui xiv. sæculo posteriores fuerunt, fides sit adhibenda? Hi autem omnes probatissimi Auctores nullum inter Leonem IV. & Benedictum iii. Pontificem memorant, sed hunc illi immediate successisse, constanti & unanimi testimonio tradiderunt. Hoc plane illud est, quod ope Nummi nostri, quem nunc evulgare, & hac Dissertatione illustrare aggredimur, mirifice confirmatur.

III. Obiit Sanctissimus Pontifex Leo iiiI. die xviI. Julii anno æræ Christianæ DCCCLV. (*g*). Quoad diem, luculentissimus nobis est auctor Anastasius S.R.E. Bibliothecarius, vel quilibet Leonis vitam conscripserit, quæ inter ceteras libri Pontificalis (qui Anastasii nomine vulgo circumfertur), inserta fuit: Et consentiunt etiam Ecclesiasticæ Tabulæ, quæ ejus memoriam hac die consignant. Ejus festum in Patriarchalibus Urbis Basilicis hac eadem die celebratur, prout ex ipsarum *Breviariis* cernere est, & cuique Romam commoranti patet. Hujus autem Sanctissimi Pontificis cultus profecto vetustissimus est. Nam Romanus Canonicus Petrus Manlius qui medio sæculo xiI. Vaticanam Basilicam descripsit,

(*a*) Rhegino Prumien. *in Chron.* inter *Script. German.* Pistorii T. I.

(*b*) Luitprandus Ticinen. *in Histor. &c.*

(*c*) Flodoardus ap. Mabillon. *præf. in sæc.* iI. *Benedict. n.* 64.

(*d*) Leo IX. PP. in Epistola ad Michael. Patriarch. Constantinop. & Leonem Achridam Archiepiscopum Bulgaror. *cap.* 23.

(*e*) Hermann. Contractus *in Chron.* inter *Script. German.* Pistorii T. I. & *in bibl. PP. Lugdunen. T.* xviiI.

(*f*) Lambertus Schafn. *in Chron.* Inter *Script. German.* Pistorii T. I.

(*g*) Jo: Baptista Sollerius *in vita S. Leonis IV. int. Acta SS. Julii d.* 17. Papebrochius *in Propylæo ad Acta SS. Maji n.* cv. Pagius, Baronius aliique.

psit, peculiare in ea fuisse Oratorium *S. Leonis PP. IV.* nuncupatum, ostendit, in quo & aliorum SS. Leonis I. II. & III. corpora a Paschali II. condita fuere (*a*); quæ postea sub Paulo V. in Aram B. Mariæ de Columna translata fuerunt, ubi adhuc requiescunt, excepto tantum S. Leonis Magni corpore, quod an. 1714. inde eductum fuit, & in proprio Altari collocatum. (*b*) Quæ omnia antiquum esse Sanctissimi Pontificis cultum præclare ostendunt; Ex quo factum est, ut ejus diei, quo mortuus est, memoria potuerit facilius conservari. Testantur præterea Martinus Polonus, Ptolomæus Lucensis, aliique, Leonis festum die XVII. Julii celebratum fuisse, quod non solum in editis, verumetiam in manuscriptis Martini Codicibus Vaticanæ, Otthobonianæ, & Corsinianæ Bibliotheces non semel observavi. Quare (iis etiam omissis, quæ sumus infra cap. III. allaturi) his omnibus perpensis, diem XVII. Julii Leoni III. emortualem fuisse, affirmare non dubitamus.

C IV. Quod

(*a*) *Basilicæ veteris Vaticanæ descriptio auctore* Romano Canonico ejusdem Basilicæ Petro Manlio. Prodiit primum Romæ an. 1646. fol. Typis Bernardini Tani cum notis Paulli de Angelis. Extl. auctior *in T. VII. Act. SS. Junii*. Ibi igitur *cap. II. primæ Edit. sive cap. 2. n. 17. & seqq. novær. Edit. pag. 39.* hæc habentur: „*De Oratorio S. Leonis IV. PP.* Ante Altare S. Mauritii juxta aditum qui vadit ad S. Martinum, post S. Petrum, est Oratorium S. Leonis PP. IV. in quo sicut sæpe a nostris Majoribus accepimus videlicet a Domino Presbytero Cencio Priore, & Domino Christiano, sanctæ recordationis Dominus Paschalis PP. II. corpus B. Leonis PP. I. & II. & III. & IIII. recondidit, sicut etiam multi nostrorum viderunt. *Hujus* (S. Leonis III.) *sanctissimum corpus requiescit in Altari suo &c.* in quo etiam Altari, ut a nostris Majoribus sæpe accepimus, requiescit B. Leo PP. I. & II. „ III. & IIII. „ Licet autem hoc Oratorium *S. Leonis IV.* nomine, Manlii ævo intelligeretur, attamen ipso Leone IV. vetustius erat. Nam in bulla quam idem Pontifex Monast. S. Martini prope Vaticanam Basilicam extructo an. 854. concessit (*Bullar. Vatican. T. I. pag. 17.*) hoc idem Oratorium S. Leonis PP. (nempe unius ex suis decessoribus) nominat *Ven. Monasterium* (h. e. S. Martini) *qui conjunctio esse videtur cum Ecclesia S. Petri Apostoli cum Oratorio S. Sisti qui est juxta ferrata* (prope Corpus S. Petri) *atque Leoni PP. & S. Adriani, una cum ...... non, qui exit in Ecclesia S. Petri inter Oratorio S. Leonis & S. Adriani*. De eodem Oratorio Anastasius in Paulo I. *sect. 261.*, & in Leone IV. *sect. 506. & 513.*

(*b*) Consulend. Raph. Sindone *in Descript. historica Altar. & Reliquiar. Basilic. Vat. Romæ 1744. cap. 12.*

IV. Quod spectat ad annum, eo ipso, quem diximus, 855 Leonem mortuum, tum ex pluribus Pontificiis Catalogis quos infra proferemus (*a*), tum ex aliis firmissimis argumentis efficitur; sed præsertim ex synchrono Annalista Bertiniano qui ad an. usque DCCCLXXXII. Annales suos produxit (*b*), ita scribente: *Anno* DCCCLV. *mense Augusto Leo Apostolicæ Sedis Antistes defunctus est, eique Benedictus successit*: Ubi tamen observes exscriptori dormitanti τὸ XV. *Kalendas* excidisse, oscitantia satis frequenti in Datis ac notis numeralibus veterum Codicum. Ceterum instar omnium esse potest eximium illud Carmen eo tempore concinnatum, quod editum primo a Ven. Baronio (*c*), nos cum Codice Vaticano 3827. X. vel XI. sæculi accurate contulimus. Narrat ibi primum Poeta obitum cujusdam Pontificis Leonis, indeque paullo post Imperatorem quoque fatis cessisse, magno populi Romani mœrore. Quæ profecto nullis aliis, quam Leoni IV., & Hlothario Imperatori convenire possunt; quum ille XV. Kal. Augusti decesserit, hic IV. Kal. Octobris subsequentis. Unde Poeta:

O quanto premitur Roma dolore
Præclaris subito *Patribus orba*:
Infirmata prius morte Leonis,
Nunc, Auguste, tuo funere languet &c.
Luge Roma tuum nomen in umbris,
Et defuncta duo lumina luge.
Arcus frange tuos, sicque triumphum
E te Roma tuis hostibus aufer.

Non equidem ignoro virum doctissimum Nicolaum Alemannum (*d*) hoc ipsum carmen de obitu Leonis III. & Caroli Magni fuisse interpretatum. Verum toto cœlo aberravit

(*a*) Infra cap. 3.

(*b*) Exst. apud Du-Chesne *T. III. p. 208. Hist. Francor. Scriptor.* & in *T. II. Script. Rer. Italicar.*

(*c*) Baron. Annal. *ad an. 855. n. 50.*

(*d*) Nicol. Alemann. *de Pariet. Lateran. p. 124.*

ravit vir alioquin eruditissimus. Carolus enim æterna memoria dignus Imperator supremum diem obiit an. DCCCXIV. v. Kal. Febr.; Leo autem non nisi biennio post, nempe pridie Idus Junii an. DCCCXVI. Quapropter aperte constat virum doctissimum Anonymi nostri sensum non recte assequutum, quum ipse aperte significet Pontificis mortem, mortem Imperatoris antevertisse. Sed viciata Codicis lectione deceptus est vir magnus, qui legit

Infirmata Pii *morte Leonis*;

quum tamen perspicue in ipso Codice appareat *Prius* a Librario scriptum fuisse. Idque clarius confirmatur voce illa *Subito*, quam in superiori versu legimus, ex qua nimirum constat tam Imperatorem, quam Pontificem uno eodemque fere tempore vita functos esse; quod sane in Carolo Magno & Leone III. minime contigit, quandoquidem a Carolo Magno vita functo ad obitum usque Leonis III. anni II. menses IV. dies XVI. numerantur:

Quod Leoni IV. supradictum Elogium conveniat, satis etiam innuit Poeta iis versibus:

Leges a senibus Patribus actas,
Quas elapsa diu raserat ætas,
Omnes ut fuerant ipse reformans
Romanis studuit reddere caussis.

Leonem IV. Ecclesiasticorum Canonum restitutorem vel propagatorem præcipuum fuisse, non obscure discimus ex ejus epistola ad Episcopos Britanniæ (*Concil. tom.* IX. *p.* 1027. *Edit. Venet. & apud Gratian. dist.* XX. *cap.* I.) *De libellis & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & SS. Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas, idest quæ habentur apud nos simul cum illis in Canone, & quibus in omnibus Ecclesiasticis utimur Judiciis, idest Apostolorum &c. Isti omnino sunt per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul & Clerici judicantur.* Quin & in Concilio anni 853 Synodum

 Roma-

Romanam Fugenii PP. II. non solum confirmavit, sed & ampliavit: *Quidquid ad Sacerdotalem pertinet honorem, immo utilitatem justamque emendationem, nunc dignum magis magisque conveniens est, ut secundum Catholicorum præcipuas promulgationes Doctorum Canonumque etiam venerabilium regulas nobiliter enodatas, virtute ac sapientia desuper adsistente Divina, fine tenus censeamus fore mansurum*; Concil. pag. 1128. *l. c.* & apud Holsten. *in collect. Rom. Par.* II. *p.*50. Sed Leonem IV. non modo SS. Canonum, verumetiam Romanarum legum restitutorem vel cultorem maximum fuisse, discimus ex quibusdam fragmentis apud Gratianum *dist.*10. *cap.* 9. *&* 13. & Ivonem *part.* 4. *cap.*181. Vid. Baluzius *in præf. ad Capitularia Reg. Francor. num.* 21. *& seqq.*

V. Post justa funebria Leoni IV. maximo Romani Populi mœrore peracta, *mox omnis Clerus universique Proceres cunctusque Senatus ac Populus* (a), ad Comitia cogitur, ut alium sibi

(a) Licet tum in libro Pontificali, tum in Diurno *Sacerdotum, Cleri, Procerum, Optimatum, Consulum, Judicum, Axiomaticorum, Militia, Civium, & populi Romani* consensus in Pontificia electione sæpe confundatur, attamen de jure (quidquid aliter temporum barbaries aliquando tulerit) diversum fuisse Populi & Laicorum consensum a suffragiis, quæ proprie a solo Clero & Proceribus vel filiis Ecclesiæ ferebantur, optime declarat Canon Synodi Lateranensis sub Stephano III. anni 769. *Act.*3. apud Holstenium *in collect. Romana par.* 1. *pag.* 259. his verbis: *Sed & hoc sub anathematis interdictionibus decernimus, ut nulli unquam laicorum sive ex manu armata, vel ex aliis Ordinibus præsumant inveniri in electione Pontificis; sed a certis Sacerdotibus, atque Proceribus Ecclesiæ & cuncto Clero ipsa Pontificatus electio proveniat. Et priusquam Pontifex electus fuerit & in Patriarchium deductus, omnes Optimates militiæ vel cunctus Exercitus, & Cives honesti, atque universa generalitas populi hujus Romanæ Urbis ad salutandum eum, sicut omnium Dominum properare debeat, & ita more solito Decretum facientes & in eo cuncti pariter concordantes subscribere debent.* Et *Act.* IV. *pag.* 264. *Si quis resistere præsumpserit Sacerdotibus atque Primatibus Ecclesiæ vel cuncto Clero ad eligendum sibi Pontificem, secundum hanc Canonicam traditionem, anathema sit.* Ceterum ne tumultuantis populi audacia Canonica Pontificum electio perturbaretur, a Hlothario Imp. sub Eugenio II. an. 824. constitutum fuisse tradit Deusdedit Cardinalis (*in sua Canon. collect. ap. Holsten. loco cit. pag.* 209. *part.*2.) *ut in electione Romani Pontificis nullus sive liber sive servus præsumat aliquod impedimentum facere. Sed illi solummodo Romani, quibus antiquitus concessum est constitutione SS. Patrum, sibi eligant Pontificem.* Quod & Otto & Henricus hujus nominis Primi constituerunt *ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem SS. Patrum antiqua admisit* con-

ſibi Paſtorem præficiat (a). Quanto tempore Inter-Pontificium prolatum fuerit, non ſignificavit Anaſtaſius, ſive Benedicti noſtri Biographus, contentus voce illa *mox* perbreve temporis intervallum demonſtraſſe. Cencius S. R. E. Camerarius, qui ſæculo XIII. incipiente Pontificum Catalogum conſcripſit, indicat ceſſaſſe Epiſcopatum diebus ſex; (b) quod intelligi commode videtur de tempore, quod a Leone mortuo, ad electionem uſque [non conſecrationem] Benedicti effluxit. Quamvis ceteroquin erret idem Cencius dum ſcribit Benedictum ſediſſe annos duos menſes quinque, qui ab electione numerati paullo plures eſſe deberent.

Ceterum, quidquid Cencii auctoritati deferendum videatur, frequentius intervallum, quod inter unius Pontificis mortem & alterius electionem ſervari ſolebat, triduum erat. Bonifacius enim III. qui annis 607. & 608. Romanam rexit Eccleſiam *fecit conſtitutum in Eccleſia B. Petri ... ſub anathemate, ut nullus Pontifice vivente aut Epiſcopo Civitatis ſuæ. præſumat loqui de ſucceſſore, aut partes ſibi facere, niſi tertio die depoſitionis ejus, adunato Clero & filiis Eccleſiæ: tunc electio fiat, & quem quiſque voluerit habebit licentiam eligendi ſibi Sacerdotem* (c): Quare in Decreto, quod de Pontificis electione ad Exarchum mittebatur, ſimilis formula exprimi ſolebat: *Triduo enim nobis exiguis in oratione manentibus, ut omnium mentibus cæleſtis dignatio demonſtraret quem dignum ad ſucceſſionem Apoſtolicæ vicis jubeat eligendum, ejus gratia ſuffragante & omnium animis inſpirante in uno convenientibus nobis ut moris*

conſuetudo &c. (*ex Anſelmo Lucenſ. ap. Holſten. loco cit. pag.* 214.) Ceterum quoad Pontificis Romani electionem conſulendus eſt etiam Can. XI. Concil. Romani an. 863. a cl. Muratorio evulgati *tom.* 2. *par.* 2. *p.* 128. *inter Script. rer. Italic.* Et Can. X. alterius Concil. Romani ſub Joanne IX. (*Concil. tom.* 9. *pag.* 403. *edit. Pariſ.*) his verbis: *Volumus ut conſtituendus Pontifex convenientibus Epiſcopis, & univerſo Clero eligatur, expetente Senatu & Populo, qui ordinandus eſt, & ſic in conſpectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur.*

(a) *Sect.* 537. 1.

(b) Ex Codice mss. XIII. ſæculi apud Antonium Franciſcum Cornaazanum.

(c) Anaſtaſ. *in lib. Pontif.* in Bonifatio III. *ſect.* 111. *T. I. & IV. Edit. Vaticana.*

moris est familiaribus Cleri & Plebis, Procerum etiam & militaris præsentia ...... concurrit atque consensit electio &c. (a) Et in Nuncio ad Archiepiscopum Ravennæ: *In unum quippe post triduum, ut moris est convenientibus nobis, idest Sacerdotibus &c.* (b) Et ad Apocrisarium Ravennæ: *Cui post transitum, ut moris est, die tertia convenientibus nobis, idest Clero &c.* (c) Hinc optime monuit cl. Cajetanus Cennius, statim atque Pontifex supremum diem obiisset, unam omnium sollicitudinem fuisse de Pastore eligendo: *Et quoniam tribus iis diebus vacandum erat jejunio & precibus, ut fieret digna electio, raro celebres legimus pompas fu ebres Romanorum Pontificum. Cujus rei singulare exemplum præbet Concilium Lateranense* [an. 769] *Nam Stephanus III. referens mortem Paulli Prædecessoris sui „ Quando, inquit, Dominus Paulus Papa de hac vita recessera, omnes „ eum derelinquentes, nisi ego funeris adsistebam custodiam ob sepulturæ tradendum* (d). De hujusmodi motibus, qui in novi Pontificis electionibus excitari solebant, consulendi Can. x. & xi. Conc. Romani sub Joanne IX. & Lamberto Imp. (e)

Mox igitur a morte Leonis, vel 3. vel ad summum 6. post dies eligitur Benedictus. Quo facto narrat idem Biographus, *Clerum & Proceres Romanorum*, ex veteri consuetudine Legationem ad Imp. Hlotharium, & Hludovicum Augg. instituisse. Mos enim jam tunc invaluerat, ut Romanorum Pontificum consecratio non fieret, priusquam de ipsorum electione Imperator certior factus suos *Missos* vel Nuncios Romam misisset, qui solemni Pontificiæ consecrationi interessent. Peculiare nempe hoc fuerat *Advocatiæ* privilegium, quod inclytæ Carolingorum Genti, de S. R. E. tam bene meritæ, ultro detulerant Romani Pontifices, ut pluribus docuit Apostolicæ Sedis acerrimus vindex

(a) In lib. Diurno ex Edit. Garnerii *cap. 1. tit. 4.*

(b) *Ibid. tit. 5.*

(c) *Ibid. tit. 7.*

(d) Conc. Lateran. Stephani III. A. 769. edente Cajet. Cennio, Romæ 1735. *ibid. pag.* xxI. *& pag.* 4.

(e) Concil. *T.* Ix. *p.* 405. *Ed. Paris.*

dex Justus Fontaninius Archiepiscopus Ancyranus. Quanta vero cura, quantoque studio tuerentur Imperatores hoc tam præclarum & singulare *Advocatiæ* privilegium, qui ignoret puto esse neminem. Hinc enim factum est, ut cum vetustioribus sæculis mos confirmationis Pontificiæ penes Græcos Imperatores adhuc maneret, non ipsius Imperatoris, sed Exarchi tantum Ravennatis afsensus Romæ expectaretur: siquidem cum Romani Pontificis consecratio res esset quam maximi momenti, timeri forte poterat, ne Imperatore longissime agente, Clerus ac Populus Romanus, quem Imperatoris afsensus diu expectati pertæsum esset, novos cierent tumultus, vel alium sibi in Pontificem eligerent, vel eum, quem elegerant consecrafsent, eoque pacto umbram illam Jurisdictionis, quam Imperatores specie tenus in Romanorum Pontificum consecratione obtinere videbantur, paullatim amitterent. Hæc eadem, vel horum saltem similia prætexebant Regii Advocati in caufsa creationis S. Gregorii VII. quos ita loquentes inducit S. Petrus Damiani: *Dicitis quia necessitate constricti & velut angusti temporis brevi spatio coarctati*, nequaquam potuistis *in electione Pontificis* expectare consensum *Regiæ Majestatis*. (a) Ideoque probe ajebat S. Petrus Damiani epistola 20. libri II. Romani Pontificis consecrationem expectandam esse *usque dum Regiæ Celsitudinis consulatur auctoritas, nisi periculum fortassis immineat, quod rem accelerare quantocyus compellat*. Idem jam ante contigerat in creatione Sergii II. A. DCCCXXXXIV. Is enim cum a Romanis inconsulto Hlothario Imperatore consecratus fuisset, *Hlotharius* [ut exprefse nos docent Bertiniani Annales] *filium suum Hlodovicum cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos, ne deinceps decedente Apostolico, quisquam illic præter sui jussionem, Missorumque suorum præsentiam ordinetur Antistes.* Idem quoque tunc accidit quum

A.

(a) Baron. ad A. 1073. num. 49.

A. DCCCXLVII. Sergio II., Leo IV. Benedicti nostri praecessor in Apostolica Cathedra fuit suffectus. Romani enim quum periculum Romanae Urbis maxime metuerent, *ne iterum ut olim aliis ab hostibus fuisset obsessa, hoc timore & futuro casu perterriti, eum sine permissu Principis Praesulem consecraverunt* (a). Ex eo igitur quod in duorum praecedentium Pontificum consecratione acciderat cautior factus Hlotharius, ne privilegium suae Advocatiae & Imperialis Dignitatis amitteret, utque omnem Romanis adimeret cujusque praetextus occasionem, Jus omne, quod sibi competere censebat circa Pontificias consecrationes, transtulit in Hludovicum filium, quem A. DCCCXLIX. in consortem Imperii adscitum, A. DCCCL. a Leone IV. Pont. Max. Imperatoria corona donari curaverat (b). Eidem vero jam antea ab A. DCCCXLIV. omnem Italici Regni procurationem concesserat, eo quod Hlotharius in remotis Franciae Orientalis partibus degere necesse haberet. Quod autem Hludovicus in Italia Regio & Imperatorio more omnia administraret, ostendunt & Privilegia, quae ab ipso concedebantur, & Conventus seu *generalia Regni Procerum & Episcoporum Placita*, Capitularia in ipsis edita A. 854. & 855 (c); Sed imprimis tuendae Ecclesiae Romanae operam dabat (quod proprium *Advocatiae* & *Imperatoriae* Dignitatis munus erat) velut ex serie Actorum in Causa Depositionis Anastasii Presbyteri liquido apparet. Quare & quae ad Jura hujus *Advocatiae* spectabant, nempe ad *Fidelitatem* populi Romani, de qua inferius *cap. 2. n. 16. & 17.* erit sermo, ipsi a Daniele (d) Magistro militum delata fuere, ideoque nil mirum si ex iis quae nunc allaturi sumus appareat, quod erat

(a) Anastasius *in Leone IV. sect. 497.*

(b) Pagius *ad A. 849. num. 2. & seqq.* P. Astezatus in Dissert. *de Lothar. & Ludovici Epochis* edita post Mancelmi Opusculum *de obsidione Brixiae.*

(c) Baluz. *Capitularium Reg. Franc. T. 1.* pag. 347. & 355.

(d) Anastasius *in Leone IV. sect. 554.*

erat de Romanorum Pontificum consecratione Hlotharium eidem Hludovico filio reliquisse.

VI. Scribit Biographus, quod electo Benedicto statim *Clerus & cuncti Proceres DECRETUM componentes propriis manibus roboraverunt, & [consuetudo prisca ut poscit] invictissimis Lothario & Ludovico destinaverunt Augustis* (a). DECRETUM dicebantur Litteræ, quibus Clerus & Populus Romanus electionem Pontificis Imperatori nuntiabant, quarum certas habemus formulas in libro Diurno (b). Inscriptum vero hoc DECRETUM fuerat tum Hlothario, tum Hludovico Augg., siquidem ambo Romanum Imperium moderabantur, eodemque *Patriciatus*, & *Advocatiæ* erga Romanam Ecclesiam honore fruebantur. Soli tamen Hludovico tum in Lombardia agenti redditum fuit, eo quod, ut jam diximus, Patre in Francia commorante ipse Italici Imperii gubernacula teneret. Scimus autem factum superioribus temporibus, ut, quum duo vel plures essent in Oriente & Occidente Impp., si quid vel Operum publicorum, vel Legum ab uno eorum conderetur, utriusque, aut omnium nominibus inscriberetur: Quemadmodum quum Hludovicus Pius Hlotharii nostri pater filium suum in consortem Imperii [nempe *in omni potestate & honore, in omni conscriptione, & Nomismate* (c)] adscivit, *quotiescumque aut quocumque Imperiales Litteræ mitterentur, amborum Imperatorum nomina continebant*, ut testatur Agobardus (d) in Epistola ad eundem Hludovicum. Hac eadem plane ratione *Decretum* Populi Romani, etsi ad unum Hludovicum perferendum erat, attamen utrisque Augustis inscribi debebat, qui parem in Pontificia consecratio-

D ne

(a) *Sect. 558. lin. 9.*

(b) *Liber Diurnus Rom. Pont.* cum notis Jo. Garnerii. Vid. etiam Du-Cange *in Gloss. v. Decretum*.

(c) Paschasius *in vita Valæ Corbei L. 2. n. XVII. cap. 3.* apud Mabillonium *Sæc. Benedict. IV. part. 1. pag. 513.*

(d) Agobardus *in epistola ad Hludovicum Imp. T. 2. pag. 330. Hist. Francor. Script. Du-Chesnii.*

ne auctoritatem seu privilegium habere dicerentur. Ex quo etiam factum est, ut Legati Imp. Hludovici (a), *Augustorum Jussiones* Romam detulisse dicantur, amborum nempe Augustorum nominibus vel inscriptas epistolas vel auctoritate munitas; qui iidem Legati alioquin modo *Caesaris*, modo *Imperatoris*, modo *Augusti* a Biographo dicuntur, quia ab uno *Caesare* aut *Imperatore* vel *Augusto* Hludovico mittebantur.

Ceterum Legatos Pop. Rom. soli Hludovico *Decretum* electionis Benedicti reddidisse disertis verbis ab eodem Biographo testatum habemus, cui tanquam homini Romano & forte etiam aequali, fides est omnino adhibenda. Ita enim scribit sect. 558. lin. 8. *Euntes itaque Hlodovico Decretum benignissimo Caesari dantes &c.* sect. 559. lin. 10. *Missi, qui Imperatori nostrum Decretum benignissimi de electione Benedicti porrexerant &c.* De epistolis vero, quas Imperatoris Legati Romam attulerunt, haec habentur sect. 558. l. 20. *Epistolas eidem insigni obtulerunt Electo, quibus Augusti continebantur responsa.* sect. 561. lin. 1. *ut* [Pop. Romanus] *obviam illis trans Milvium Pontem Imperatoris jussionibus irent.* Ceterum ne temere ita loquutum fuisse Biographum ullo modo arbitremur, qui paullo ante *Decretum* utrisque Augustis Hlothario & Hludovico inscriptum fuisse retulerat. In homine Romano & coaetaneo nihil tale suspicandum. Primum enim saltem certissime evincitur ex iis verbis quibus Legatos Pop. Rom. Hludovico *nostrum Decretum de electione Benedicti* reddidisse scribit.

VII. Hludovicum Imp. in Italia tunc & forte in Lombardia commoraſſe diximus, ibique *Decretum* electionis Benedicti eidem traditum a Legatis fuisse. Sed quanam demum in urbe degeret, incertum prorsus arbitror esse. Adfuerat quidem hoc anno 855 pridie nonas Februarias Ti-

(a) Anastas. *sect.* 561. 11.

Ticinensi Concilio, quod refertur a Baronio *(a)*; statimque post celebratam Synodum Mantuam divertit, ubi 6 Idus ejusdem mensis Privilegium quoddam Patavino Episcopo dedit *(b)*. Inde Romam, ut narrat Benedicti III. Biographus, paulloque ante retulimus, ad Gratiani tumultus sedandos se contulit *(c)*; Perfectisque ex animi sententia rebus jam tum discesserat cum Sanctiss. Pontifex Leo IIII. die XVII. Julii vita functus est, non multis diebus post quam Hludovicus abierat. Videtur autem mihi veri longe similius eum denuo in Lombardiam rediisse, quod potiorem in ea regione haberet Regni partem, & Ticini plerumque consedere solerent Italici Reges. Quare iis, quæ sequebantur, Kalendis Novembribus Ticini adhuc morabatur, quandoquidem ibidem eo ipso die Diploma quoddam pro Aquilejensi Patriarcha consignavit *(d)*.

Itaque in Lombardia degens Imp. accipit DECRETUM electionis Benedicti III. a Legatis Populi Romani, quibus deinde suas ad Electum litteras ex more tradit *(e)*: atque interim suos etiam Legatos vel *Missus*, qui Pontificiæ consecrationi nomine suo interessent, Romam mittere parat. Quo tempore prædicti Romanorum Legati jam Romam reversi *(f)*, *adventumque Missorum nunciantes Imperialium, epistolas eidem insigni obtulerunt Electo* [h. e. Benedicto] *quibus Augusti continebantur responsa*. Et *post aliquot quoque dies, ipsi quos prænunciaverant Missi* (Imperiales) *Hortam, quæ* XXXX. *milliario a Roma distat, properaverunt (g)*.

VIII. Est autem operæ pretium scire, Romanorum Legatos dum ad Imperatorem pergerent, Eugubioque pertransi-

(a) Baron. *ad A.855. n. 3. & Concil. T. VIII. p. 58. Edit. Lutet. Paris.*

(b) Muratori *Ant. Med. Ævi T. II. pag. 55.*

(c) Anastas. *sect.554.*

(d) Apud Ughell *Ital. Sacr. T.V. p.89.* Lunig. *Cod. Ital. Dipl. T. II. p.1943.*

(e) Anastas. *sect.558. l.20.*

(f) *Sect.558. l.2.*

(g) *Sect. 559. l.1.*

transſirent, cum Arſenio illius urbis Epiſcopo conſilium iniiſſe, ut quendam Anaſtaſium Presbyterum, quem Leo IV. multorum ſcelerum reum jam Sacerdotii honore privarat, perculeratque Anathemate, in Petri Cathedra collocarent. Eugubio denuo iter ingreſſi, Imperatorem quidem adierunt, eique (conſilium Eugubii captum callide tegentes) Decretum electionis Benedicti obtulerunt. Verum, quo excogitatum facinus reipſa perficerent, Imperialibus Miſſis perſuaſerunt, ut ſibi & Anaſtaſio operam darent. Hinc Romam reverſi Clerum & univerſos Reipublicæ Ordines ita hortabantur dicentes: *Omnes in obviam Imperialibus ſimul nobiſcum exire ſtudete Legatis, quatenus Auguſti juſſionibus obedientes exiſtere valeatis* (*a*). Res pro voto ſane cecidit. Pervenerunt enim Hortam Imperiales Legati, ibique ſtatim ſeſe cum Anaſtaſio conjunxerunt. *Miſſi quoque Romanorum mentibus cognitum conceptum habentes conſilium, cum aliis quibuſdam Romam egreſſi Nobilium, ideſt Gregorio, Chriſtophoroque Magiſtris militum, obviam quaſi Imperatoris Legatis profecti ſunt, Hortamque properantibus Electo damnato* (Anaſtaſio) *ſe conjunxerunt, depoſitoque Presbytero hac ſub occaſione multi concedentes ab Urbe ſimiliter peregerunt* (*b*). Horta deinde egreſſi Imperiales Legati cum ceteris qui Anaſtaſio favebant, Romam petunt, ac violenter irruunt, primo quidem in Baſilicam Principis Apoſtolorum, deinde in Lateranenſe Patriarchium, unde ejectum Benedictum in vincula & in cuſtodiam tradunt. *Septima tum feria curſus peragebatur* (*c*). Brevi tamen, Deo ita volente, omnia ad tranquillitatem redacta ſunt, nempe feria quæ ſequebatur tertia; itaut expleto triduano quartæ, ſextæ, & ſeptimæ Feriæ jejunio, Dominico die Benedictus feliciter conſecratus fuerit (*d*).

IX. Ha-

(*a*) Anaſtaſ. *Sect.* 558. *l.* 23.
(*b*) *Sect.* 559. *l.* 10.
(*c*) *Sect.* 562. *l.* 19.
(*d*) *Sect.* 564. *l.* 1.

IX. Hactenus ex hiſtoria, quæ geſta ſunt, narravimus: nunc tempora paullo accuratius ſunt expendenda, ut diem conſecrationis Benedicti III., de qua prorſus ſilent veteres Scriptores, quæ fuerit, probabili ſaltem conjectura aſſequi poſſimus. Etſi enim in pluribus libri Pontificalis editionibus nihil exſtet de Inter-Pontificio, quod inter Leonem & Benedictum noſtrum interceſſit, in uno tamen Codice Mſs. apud Fabrottum, itemque in tribus aliis Regio, Mazarino, ac Thuanæo (*a*) poſt vitam Leonis IV. diſerte hoc additur: *Ceſſavit Epiſcopatus menſ.* II. *dies* XV. Præ ceteris vero plurimi videtur mihi fieri debere Catalogum vetuſtiſſimum Romm. Pont. (*b*), ex Codice Farfenſi (XI. quidem ſæculi) deſcriptum, ſed multo ante concinnatum, nempe anno circiter 855, deinceps vero ad A. uſque 984 ab alio productum. Continet enim omnium Pontificum nomina uſque ad Benedictum VII., qui prædicto A. 984 vita functus eſt. Sed diverſa plane ratione recenſentur Pontifices qui Benedictum III. præceſſere, atque ii qui poſtea vixerunt. Ad illos enim ſingulos adjungitur *ceſſatio Sedis*, ſive Inter-Pontificii tempus, quod inter binos quoſque interceſſit: non item ad ceteros qui Benedictum III. conſequuti ſunt. Quo facile ſuſpicor primum illum Catalogum circa tempora Benedicti III., productionem vero temporibus Benedicti VII. confectam fuiſſe. In hoc igitur antiquiſſimo, &, ut verius dicam, ætate Benedicti III. confecto Catalogo notatum invenitur *Leo* [IIII] *ann.* 8. *m.* 3. *d.* 6. *Ceſ. m.* 2. *d.* 15. His adde Catalogum IV. Colbertinum circa A. 1126 elaboratum, in quo legitur *Ceſ. Epiſc. m.* II. *d.* 15. (*c*): ut duos etiam præteream Anaſtaſianos Codices Mſs., nempe 2017 Bibl. Barberinæ

(*a*) Anaſtaſ. Bibl. *Edit. Reg. A.* 1649 *p.* 290. cura V. Cl. Fabrotti. Idem *Edit. Vatic. Tom. I. pag.* 329 in Var. Lect. ad *ſect.* 555.

(*b*) Opuſc. XIII. *p.* CXVI. *Tom.* II. *in Prolegom. ad Anaſtaſium Edit. Vatic.*

(*c*) Apud Pagium *in Appar. ad Critic. Baron.*

rinæ vitas Pontificum ad Honorium uſque II. complectentem, & Farneſianum E. 4. *n.* 21. uſque ad Martinum V., in quibus poſt Leonis IV. obitum diſerte legitur *Ceſſavit Epiſcopatus menſ.* II. *dies* xv. (*a*).

Quibus animadverſis, in eam, quæ eſt utriuſque Pagii (*b*), ſententiam libenter adducor, ut exiſtimem Benedictum noſtrum menſibus II., ac diebus xv. poſt mortem Leonis IV., atque adeo die 29 Septembris (quæ fuit dies Dominica) ſolemni Pontificali conſecratione inſignitum fuiſſe.

X. Hoc autem conſtitutum temporis intervallum iis omnibus ſufficere videtur, quæ ante ejuſdem Benedicti conſecrationem contigiſſe a Biographo memoriæ proditum fuit, quæque nimium eſſet operoſum exiguo unius menſis & dierum 15 ſpatio concludere velle, ut placuit Cl. Papebrochio qui Benedicti noſtri conſecrationem Kalendis Septembribus aſſignavit. Eſto enim electus fuerit *mox* ab obitu Leonis, nempe tertium, vel ſextum poſt diem quemadmodum ſupra (*c*) ratiocinati ſumus: Demus menſem unum conſumpſiſſe Romanorum Legatos, dum Imperatorem Papiæ, vel Mantuæ, vel alibi agentem convenirent, dumque inde Romam ad diem Auguſti 23 vel 24 redirent: demus *aliquot poſt dies* (nempe 5 vel 6) Imperatoris Legatos Hortam perveniſſe, quos tamen ibi aliquandiu moratos eſſe oportet, dum ſe ad iniquum illud de Benedicto tollendo & Anaſtaſio intrudendo conſilium compararent: prætereaque demus eos Horta Romam profectos, Feria ſeptima (31 Auguſti) Lateranenſe Patriarchium invaſiſſe, quumque Feria tertia ſequenti ad tranquillitatem omnia revocata fuiſſent, die demum Dominica (7 Septembris) Benedictum conſecratum fuiſſe. Ex quo illud exiſtit

(*a*) Cod. 2017 membr. Bibl. Barberinæ. Cod. Farneſian. membr. ſignat. E. 4. 21.

(*b*) Pag. *in Critic. Baron. ad A.* 855. *n.* 10. Franciſcus Pagi *in Breviar. Geſtor. Pont. Rom. in Bened.* III. *n.* 3.

(*c*) *Num.* 5. hujus capitis.

existit fieri non posse, quin integra rerum series ad 7 usque Septembris diem producatur. Rem tamen consideranti patebit, unius mensis spatium angustius esse, quam ut possent Romanorum Legati ire ad Imperatorem & redire, propterea quod nec recta nec celeriter potuerunt iter conficere: qui enim celeriter potuerunt, qui in eo toti se occupaverunt, ut ex itinere tantum facinus adversus Benedictum conflarent, fautoresque Anastasio quærerent? ex quo factum est, ut de via publica & militari Eugubium diverterint [Urbem sitam in Apenninis extra cursum viæ publicæ, velut in antiquis Itinerariis Tabulis videri potest], ut cum Arsenio ejus Urbis Episcopo de efferendo Anastasio consultarent.

XI. At negotium facessit doctissimo Papebrochio (*a*) quod legitur apud Benedicti Biographum in libro Pontificali, Romæ ingentem Tiberis alluvionem factam fuisse *In mense quinto consecrationis hujus præclari Pontificis, 6 die Januarii* (*b*); ex quo ipse concludit prædictam consecrationem diem 6 Septembris antecessisse. Optime quidem, si certum esset menses completos hic ab auctore designatos fuisse. Ut enim observat Pagius, nosque pluribus exemplis infra adducendis magis confirmabimus, non raro Scriptores in indicandis annis Imperii, Principatus, aut hujusmodi aliis, proleptice eos numerando, primum desinentem, & ultimum incipientem pro integris posuere. De quo more apud veteres Ethnicos & Judæos Dionysius Petavius, Antonius Pagius, Henricus Norisius, Natalis Alexander, ac omnium recentissimus Thomas Monelia (*c*) sunt omnino consulendi. Ad Scriptores vero inferioris ævi quod attinet, exemplum suppeditat Pagius (*d*) ex Annalibus Fuldensibus, in quibus Rhabanus Moguntinus Episcopus

(*a*) Papebroch. *in Conatu Hist. Chronolog. Rom. Pontif.* in Bened. III.

(*b*) *Sect. 568. 9.*

(*c*) Monelia *in Differt. de Annis Christi.*

(*d*) Pagius *in Baron. ad Ann. 856. num. 6.*

ſcopus annos VIIII. ſediſſe refertur; quem annorum numerum ſi retineamus, numerandi erunt pro completo anno poſtremi ſex, vel ſeptem menſes A. 847, quo fuit Epiſcopus conſecratus. Eundem igitur plane morem Benedicti III. Biographum ſervaſſe cenſeo, ut, nempe in deſignandis menſibus ab ejus conſecratione, menſes tantum Julianos, quos uſque ad diem 6 Januarii attigit Benedictus, reſpexerit; adeoque poſtremos Septembris dies, ex quo Pontifex ſacra Ordinatione fuit inſignitus, pro integro menſe proleptice numeraverit.

XII. Res autem erit magis magiſque explorata, ſi morem, quem in Regiis & Imperialibus *Cancellariis* ſcimus uſurpari conſueviſſe, paullo diligentius conſideremus. Non raro enim, hujuſmodi prolepſi adhibita, minime completos annos vel menſes pro integris numeratos fuiſſe apparet. Otto Magnus Regnum obtinuit initio Julii an. 936. Die vero 22 Januarii *(a)* Diploma edidit, in quo annum Regni 31 conſignat, quum tamen non niſi 29 annos, 6 menſes cum aliquot præterea diebus percurriſſet. Quum enim poſtremos illos 6 menſes an. 936 pro completo anno numeraſſet, hinc factum eſt, ut Kal. Jan. an. 966 non 30. Regni ſui annum, prout dicere debuiſſet, ſed 31 conſignarit. Complura hujuſmodi exempla proſtant in Diplomatibus Henrici I. *(b)* in aliis ejuſdem Ottonis *(c)*, & filii ejus *(d)*, ac Henrici II. *(e)*, Conradi II. *(f)*, Henrici III. *(g)*, Henrici IV. *(h)*, ac Hlotharii II. *(i)*, quæ omnia, ne lectores tædio afficiam, apud Auctorem Chronici Gotwicenſis conſulenda relinquo. Aliqua tamen non prætermittam, quæ morem ſæculi IX. quo vivebat Biographus

(a) ap. Miræum *in notit. Eccl. Belg. cap.* 62.
(b) Chron. Gotwicens. *T. I. p.* 154.
(c) *Pag.* 188.
(d) *Pag.* 207.
(e) *Pag.* 243.
(f) *Pag.* 260.
(g) *Pag.* 277.
(h) *Pag.* 304.
(i) *Pag.* 343.

phus noster, magis magisque confirment.

Hludovicus Pius regnare cœpit 5 Kal. Febr. A. 814, ea ipsa die, qua Carolus M. obiit; proindeque clarum est, eum 3 Nonas Jan. A. 824. *Decimum* Regni annum adhuc egisse, Idib. Jan. A. 829 xv., 10 Kal. Febr. A. 839 xxv. & 13 Kal. Febr. A. 833 xix.; attamen in vetustis Monumentis xi. *(a)*, xvi. *(b)*, xxvi. *(c)*, & xx. *(d)* ejusdem Regni sui annos proleptice signatos legimus.

Hlotharius A. 823 die Paschatis [5 Aprilis] a Paschali PP. Romæ Imperator coronatus est *(e)*; ideoque 3 Nonas Januarias Anni sequentis 824 adhuc in primo Imperii sui anno degebat, cujus novem tantum menses effluxerant. At in quodam Diplomate Annum Imperii non primum, sed *Secundum* signare maluit *(f)*. Item A. 833, 18 Kal. Februarias Annum Imperii *Undecimum* notavit, etsi Annos ix. mens. ix. dies xi. tantum percurrisset *(g)*. Post mortem autem Patris, quæ die 20 Junii A. 840 evenit, duplicem Epocham signare consuevit, Regni nempe Francici quod post obitum Patris obtinuit, & Italici quam tamen Epocham ab A. 820 deduxit. In Annis Francici Regni computandis prolepsi eum sæpe usum novimus. Nam & Nonis Februarii A. 842 Annum *Tertium (h)*, & Idibus Maji A. 845 Annum *Sextum (i)*, & Nonis Maji A. 846 Annum *Septimum (k)*, & 5 Kal. Mart. A. 853 Annum *Decimumquartum (l)* illius Regni signavit; quos omnes tamen nondum attigerat, adeoque omnes proleptice numeratos constat. Hæc quoad

E Epo-

(a) Apud Ughellium *in Italia Sacra T. v. pag. 249.*

(b) Apud Mabillon. *Annal. Bened. T. 2I. lib. 30. num. 29.*

(c) Apud eundem *de Re Diplom.* pag. 525.

(d) Apud Muratorium *in Antiq. Ital. med. ævi T. I. pag. 459.*

(e) Eginhardus *in Annal.* apud Duchesn. *Hist. Franc. Script. T. 2I.*

(f) Apud Ughell. *loc. cit.*

(g) Apud Murator. *loc. cit.*

(h) Apud Martenium *vet. Monum. T. I. pag. 103.*

(i) Apud Herrgott Origin. *Habspurg. T. 2I. pag. 26.*

(k) Apud Martenium *l. c. pag. 115.*

(l) Ibidem *pag. 129.*

Epocham Francici Regni; quoad Italici vero, incompertum habemus a quo mense An. 820 eam deduxerit. Pagius mense Majo eam collocasse videtur (*a*), Mansius aliquanto citius (*b*); quibus tamen minime acquiesco: nam etsi in vetustis Chartis & 5 Kal. Martias A. 853 Annus *Trigesimus quartus* (*c*), & 8 Kal. Martias A. 852 Annus *Tricesimus tertius* (*d*), & 6 Idus Febr. A. 855 Annus *Tricesimus sextus* (*e*), & Nonis Febr. A. 842 Annus *Vicesimus tertius* (*f*) ejus Regni numerentur [qui ante Nonas Februarias A. 820 desumti viderentur], nullo tamen argumento adduci possumus, ut eosdem integre potius & complete, quam proleptice usurpatos fuisse existimemus.

Hæc si animadvertisset Astezatus in Dissertatione de Epochis Hlotharii & Hludovici Augg. (*g*), nequaquam Epocham Regni Hludovici II. removisset, prout fecit, ab A. 844 cujus die 15 Junii a Sergio II. P.M. Regni Coronam suscepit (*h*). Nam Diploma quod attulit Sigonius *datum* 8 *Idus Febr.* A. 849, Annum Hludovici VI. designat, qui utique non ab A. 843 ut Astezato placuit, sed ab 844 proleptice est numerandus. Idem vero Hludovicus in aliis suis Diplomatibus Imperii annos proleptice nonnunquam usurpavit (*i*), quos hic longius recensere non vacat.

Quibus omnibus satis abunde satisfactum arbitror cl. Papebrochio, adeout probabiliter affirmari possit Biographum Benedicti III. illius Pontificatus mensem V. proleptice usurpasse: ideoque ipsius consecratio nequaquam a die 29 Septembris erit dimovenda.

CA-

(*a*) Pagius *in Baron. ad A.* 821. *n.* 2.

(*b*) Mansius *in not. ad Baron. A.* 821. *n.* 1. *T.* XIV. *pag.* 19. *Edit. Lucens.*

(*c*) Apud Martenium *l. c. pag.* 129.

(*d*) Apud Muratorium *l. c. T.* II. *p.* 868.

(*e*) Ibidem *pag.* 55.

(*f*) Apud Martenium *l. c. pag.* 103.

(*g*) Exstat ad calcem Mancini *de Obsidione Brixiæ pag.* 104.

(*h*) Lib. Pontificalis *in Sergio* II. *sect.* 486.

(*i*) Hæc Diplomata vide apud Sammarthanos *in Gallia Christ. T. I. Instr. p.* 138, apud Muratorium *l. c. T. I. pag.* 585, & apud Ughellium *Ital. Sacr. T.* VIII. *p.* 44.

C A P. I I.

I. Benedicti III. *consecratio male a quibusdam A. 856 consignata.* II. *Refutantur: & illius tempus penitius scrutatur.* III. *Hlotharius Imp. obiit die 28 Septembris A. 855.* IV. *Primis post ejus mortem diebus percussus evincitur Nummus noster*, V. *ex quo intervallum omne pro Joanna Papissa collocanda penitus excluditur.* VI. *Nummi ejusdem sinceritas*, VII. *qui Benedicto* III. *certissime tribuitur.* VIII. *Corbejense Privilegium adducitur*, IX. *& propugnatur.* X. *Theophylactus Secundicerius eidem. subscribit.* XI. *De Secundiceriis S. R. E. plura notatu digna proferuntur. De duplicis nominis usu.*

I. SUccesso igitur post Leonis IIII. mortem in Apostolica Petri Cathedra Benedicto III. tam brevi temporis intervallo Anno Æræ Christianæ 855, nullus plane remanet locus, qui Joannæ Pseudo-Papissæ assignari possit; quandoquidem inter Leonem & Benedictum ejus Pontificatum incidisse volunt ejus defensores, etsi, ad annum quod attinet, non omnes inter se consentiant. Quidam enim inter Augustum A. 853, & Januarium A. 856, alii post A. 854, alii A. 855. Quum autem probe animadverterent Frid. Spanhemius ceterique ejus asseclæ priorem sententiam defendi non posse, eo quod Synodus Romana die 8 Decembris A. 853 Leone adhuc superstite celebrata fuerit, non item alteram & tertiam, quæ Nicolai I. creationem suo loco nimis absurde dimoverent, hanc suo sibi ingenio confinxere, qua Joannæ suæ Pontificatum, contra ac Apostolicæ Sedis defensores contendunt, esse ab se bene constitutum arbitrantur; nempe mense Augusto

 A. 854

A. 854 obiisse Leonem, eique successisse Joannam ad Septembrem usque A. 856, quo demum Benedictus III. creatus fuerit.

Fuerunt alii quidem, qui Benedicti creationem in A. 856 incidisse censerent, inter quos plures ex iis Chronographis numerandi sunt, qui, quum temporibus barbarie obsitis vixerint, vix digni sunt, qui nominentur. Nam præterquam quod Benedicti III. temporibus multo recentiores fuerunt, libros suos non ex probatis certissimisque Monumentis concinnarunt, sed quæcumque sibi ad manus essent, nullo delectu, nullo judicio, in iis consarcinarunt. Launojus quidem (vir ceteroquin eruditissimus) fortasse horum Scriptorum lectione deceptus dixerat, Benedictum III. mense Septembris A. 856 Pontificalem Cathedram ascendisse. Sed non est cur Launoji auctoritatem tam magnifice extollere nitantur Adversarii, quem ego plurimi facio, si quæ scribat Monumentorum ope confirmet. Est autem animadvertendum, id Launojo è calamo excidisse, quum alia pertractaret: neque enim id tum agebat, ut tempus quo Benedictus Pontifex creatus fuit definiret, sed rem longe aliam ad manus habens, eique accommodatum quendam ex Benedicti epistolis locum afferens, obiter adjunxerat: *Benedictus* III., *cujus initium Pontificatus in A.* 856 *incurrit, in epistola ad Hincmarum &c.* (*a*).

II. Ut Maresio tamen, Spanhemio, Lenfantio aliisque adversariis, qui Benedicti III. consecrationem in A. 856 contulerunt, plane satisfaciamus, illud imprimis est observandum, Hlotharium Imperatorem in vivis adhuc egisse, quum Clerus & Populus Romanus Decretum electionis Benedicti Legatis suis ad Hludovicum Imp. tradiderunt. Inscriptum enim erat *Invictissimis Hlothario & Hlu-*

(*a*) Launojus *in epistola ad Th. Rullandum. Epistolar. par.* III. *p.* 54. *prima Edit.*

Hludovico Augustis, ut supra exposuimus sequuti ejusdem Benedicti Biographum, Romanum & æqualem Scriptorem. Quod si tempore electionis Hlotharius adhuc superstes erat, attamen eundem ante Benedicti consecrationem decessisse diserte tradit æqualis alter & gravissimus auctor Ado Viennensis Episcopus, vita functus A. 875, *(a)* aut alius ejusdem Chronici continuator, non multum ille quidem hac ætate posterior his verbis: „Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur; illo defuncto succedit Leo, quo obeunte Benedictus in Sede Apostolica substituitur *jam tamen defuncto Lothario Imp. (b)*„ Quæ item verba referuntur in alio etiam ejusdem ætatis Fragmento apud Andream Du-Chesnium *(c)*. Certa igitur Nota, & veluti Character, quo tempus electionis, nec non consecrationis Benedicti III. recte constitui & definiri possit, Hlotharii Imp. obitus, qui inter utramque contigit, profecto esse videtur. Quare hujus Imperatoris mors, quonam die acciderit, est primum a nobis diligenter investiganda.

III. Cum Hlotharium Imperatorem scelerum suorum pœnituisset, induissetque mense Septembri A.855 in celeberrimo Prumiæ Cœnobio [quod V.M.P. distat ab Urbe Treveri] Monachi habitum, paucos post dies fatis concessit. Quarto Kal. Oct. ejus obitum contigisse tradunt Annales Bertiniani *(d)*, quo etiam die notatur in Necrologio Laureshamensi *(e)*; sed discrepant ab hisce Monumentis Metenses Annales, qui diem 3 Kal. Octobris notant; quibus consentiunt & Petrus Bibliothecarius,& vetustissi-

(a) Consulend. Pagius *in Critica Baron. ad A. 878. num.8.*

(b) Ado Viennen. In Chronico T. XVI. pag.809. *Bibl. PP. Lugdunen.*

(c) *T. II. Hist. Francor. Script. pag.* 92.407. 408.

(d) Annal. Bertiniani *ad A. 855. Lotharius Imp. vita decessit 4. Kalend. Oct. atque in eodem Monasterio* (Prumiensi) *sepulturam ut desideraverat consecutus est.*

(e) ap. Schannat. *Vindem. Litter. p. 25.*

tuſtiſſimum Diptychon Fuldenſe IX. (ut arbitror) vel X. Sæculi (a), in quo legitur Obitus ſeu Depoſitio *Hluderi Rex* III. *Kal. Octobris*. His addere liceat præſtantiſſimum inſignis Monaſterii Romaricenſis Necrologium A. 876 vel 882 primo confectum, quod annuentibus clariſſimis hujus Monaſterii Sanctimonialibus mea opera fortaſſe vulgabitur. Ex hoc enim inſigni Monumento, tum antiquiſſimi hujus Monaſterii Hiſtoria, tum Antiquitatis non pauci ritus mirifice illuſtrabuntur; Catalogus Abbatiſſarum proferetur hactenus incognitus; tribus primis a ſui origine ſæculis Monaſterium hoc nequaquam Regulæ S. Benedicti paruiſſe contra Mabillonium (b) demonſtrabitur; apparebit quibus bonis & Piorum Donationibus ditatum fuerit; quod ſocietatem habuerit cum celeberrimis Monaſteriis Indenſi, Malmundarienſi & Stabulenſi, Morbacenſi, Inſulanenſi, Laubienſi, & (quod noſtra præcipue intereſt) cum ipſo illo Prumienſi, in quo Hlotharius defunctus eſt. Plurimam igitur huic Necrologio fidem cenſeo adhiberi debere: fortaſſe enim Romaricenſes Sanctimoniales a Prumienſibus Monachis, inter quos Hlotharius Imp. obiit, diem ejus anniverſariam didicerunt. In hoc igitur pag. 46. legitur ad diem III. Kal. Octobr. *Obiit Domnus Lotharius Rex*. Quæ autem in hactenus recenſitis Monumentis differentia conſpicitur in eo fortaſſe verſatur, quod in quibuſdam diei Obitus (qui fuit 4 Kal. Oct.) in aliis vero Depoſitionis (3 Kal.) ratio habita fuerit. Quæ confuſio non ſemel in ſacra profanaque Hiſtoria ſolet occurrere. In Necrologiis enim (ut plurimum) dies depoſitionis notari ſolebat. Quemadmodum etiam accidiſſe non injuria ſuſpicor, in ejus Epitaphio, quod a Rhabano Mauro concinnatum cl. Chriſtoph. Browerius e veteri

(a) ap. Schannat. *l. c. cit.*

(b) *Lettre de Dom Jean Mabillon a un de ſes amis touchant le premier Inſtitut de l' Abbaye de Rem[illegible] Paris 1687.*

veteri Codice Fuldensi in lucem protulit [a]: In hujus enim fine legitur III. *Kal. Octob.* Illud igitur jam statuamus, Hlotharium 4 Kal. Octobris obiisse, posteroque die depositum fuisse; vel nocte, quæ inter utramque diem intercessit, Naturæ debitum persolvisse. Quoniam vero, ut supra demonstravimus, Benedict. III. consecratus fuit 3 Kal. Oct., liquido constat altera post Hlotharii obitum die Pontificale Solium conscendisse; ideoque recte congruere quod notatum fuit in Adonis Chronico, Benedictum III. in Apostolica Sede constitutum fuisse *jam tamen defuncto Hloth. Imp.*

IV. Nondum autem Prumia Romam nuntius de Hlotharii morte pervenerat, quum Benedictus III. Pontificali jam dignitate insignitus pro more Decessorum suorum, & in summæ Potestatis argumentum, Nummos cudere cœperat. Primis ergo illis post suam consecrationem diebus cusus ab eo fuit Nummus, quem nos primum in lucem proferimus, & fronti hujus Dissertationis præfiximus. In anticæ partis gyro S. Petri nomen, in medio autem Monogramma ex implicitis B.E.N.P.A litteris conflatum, *BENEdicti PAPAe* nomen clare exprimens, inscribitur. In aversa vero parte conspicitur HLOTHARIUS IMP. cum Monogrammate quod legitur P.I.V.S. Nam quum ea jam obtinuisset consuetudo, ut Romani Pontifices honoris caussa Imperatoris, cujus sub *Advocatia* ac tutela Romana erat Ecclesia, in suis nummis Nomen insculperent, hunc morem retinens Benedictus, in Nummis quos sui Pontificatus initio cudit, Hlotharii Imp. [qui adhuc superstes Romæ existimabatur] Nomen signari voluit; quemadmodum & Hludovico Imp. ejus filio eundem impertitus est honorem in tribus aliis Nummis, quos post nunciatum Hlotharii obitum, vel antea quoque [ut par esset utrisque Imperatoribus honor] percussisse existimo. V. Qui-

(a) Brower. *Antiquit. & Annal. Trevirens. lib.* VIII.

V. Quibus tam bene constitutis, non video quis locus relinquatur, ut ad A. 856 Benedicti Pontificatus exordia protrahantur. Utrum enim aliud quidpiam in historicis rebus certius & exploratius esse possit, vix credam: Proindeque si decessit Leo IIII. 17 Julii die A. 855, si tam certo constat Benedictum III. initio sequentis Octobris Pontificalem Cathedram tenuisse, ubinam collocanda erit Joanna ista commentitia, quam duos saltem annos inter Leonem & Benedictum sedisse, Apostolicæ Sedis inimici confinxerunt? Non certe Kalendis Octobris A. 855, quia Nummus noster prohibet; non ante diem XVII. Julii ejusdem anni, quia obstat mors Leonis IIII. tam luculenter superius probata. Quod etsi Spanhemio ceterisque concederemus ipsum fuisse vita functum Anno præcedenti 854, nequaquam tamen extendi posset Joannæ Pontificatus ad A. usque 856, velut adversariis nostris placuit: quum obstet Nummus noster, qui Benedictum III. circa Kal. Octobris A. 855 in Apostolico Solio sedisse, præclare testatur: ideoque commentitius Joannæ Pontificatus Annum dumtaxat unum perdurasset, contra ac omnes hujus Fabulæ Auctores & Patroni senseru it.

VI. De Nummi sinceritate nihil est, cur dubitem; quod enim suspicionis indicium in eo appareat, nec laudatus Nummi possessor, nec plures iique curiosiores eruditæ Antiquitatis scrutatores, quorum oculis Nummum subjeci, nec ego ipse qui eum manibus sæpe contrectavi, ne ullum quidem invenire potuimus. Argenti metallum, litterarum forma, Nummi ipsius facies, & crassitudo cum reliquis Romanorum Pontificum ea ætate cusis, quorum plurimos hìc Romæ observavi, perfecte convenit. Immo addam quod Nummi sinceritatem plane demonstrat. Cl. Eques Franciscus Victorius, quem honoris caussa nomino, inter cetera præclarissima sui Musei Cimelia duos etiam Bene-

Benedicti III. Nummos possidet, quos mihi humanissime communicari voluit. Ambo similem Typum referunt; ex altera enim parte LVDOVVICVS IMP. cum solito Monogrammate PIVS, prout in editis aliis Benedicti Nummis, apparet. Ex altera vero Benedicti nomen Monogrammate implicitum exhibent [eadem qua in nostro Nummo conspicimus ratione] & in gyro ∽c∽ PETRVS. Ex accurata, atque tum a cl. Viro, tum a me ipso sæpe instituta Nummi nostri cum iis Musei Victorii collatione compertum habui, eam Nummi nostri eorumque duorum partem, quæ Benedicti Monogramma præfefert, una eademque Forma cusam a monetariis fuisse: adeo illorum typi, litterarumque ductus, lineamenta, apices, situs, inter se apprime conveniunt.

VII. Quod autem in monogrammate nostri Nummi. non alterius Pontificis quam Benedicti nomen legatur, nullus dubito, quum elementorum B.E.N. implicatio non alii prorsus Pontifici convenire possit, quam uni alicui ex *Benedictis* qui Apostolicam Cathedram tenuerunt. Horum autem nullus tempore alicujus *Hlotharii Imp.* ætatem duxit, præter nostrum Benedictum III. Hic enim Hlotharius vixit Pontificibus Gregorio IIII. Sergio II. Leone IIII., & Benedicto III. electo, nec dum consecrato, quemadmodum jam ante monuimus; *Hlotharius* II. sub Innocentio II. Imperii Coronam obtinuit. Quare soli restant *Hlotharius I*, & *Benedictus* III., quibus Nummus a nobis e Museo Pignattio in lucem editus assignari debeat.

VIII. Quo autem die nuncius de Hlotharii obitu in Urbem pervenerit, incompertum plane habemus. Id vero unum potest affirmari, nonis Octobris nihil adhuc de ejus obitu Romæ cognitum fuisse. Hoc enim die a Benedicto PP. consignatum legitur Privilegium *super electione Abbatis* Monasterii Corbejensis, *& rerum suarum libera possessione*,

sessione, in cujus Data hæc exarantur : *Scriptum per manus Theodori Notarii & Scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ in mense Octobrio Indictione* IIII. *Bene valete*. *Datum* v. *Nonas Octubrias per manum Theophilacti Secundicerii S. Sedis Apostolicæ*. *Imperantibus Dominis nostris piissimis Augustis Hlothario a Deo coronato magno Imperatore anno tricesimo nono &* P (ost). C (onsulatum). *ejus anno tricesimo nono ; sed & Hludovico novo Imperatore ejus filio anno septimo*, *Indictione quarta*.

Privilegium hoc primo editum fuit A. 1625 cura Jacobi Dupletii *ex mundissimis membranis ante annos plus minus octingentos graphice descriptum* (*a*). Iterum prodiit in T. VI. p. 397. Spicilegii Dacheriani, & T. VIII. Conciliorum. Sed tandem ex ipso met Autographo in Papyro Ægyptiaca exarato, *quo nescio an aliud illustrius exstet ejus ævi monumentum* (*b*), protulit doctissimus Mabillonius (*c*), ideoque de ejus sinceritate nihil plane dubitandum, quidquid contra effutiant Adversarii toto *cap.6. part.* 4. *hist. de la Papesse*.

IX. Primùm enim illud confirmatum diserte habemus ab ejus successore Nicolao I. (*d*) in alio simili Privilegio eidem Monasterio Corbejensi concesso : prætereaque in eo nihil prorsus occurrit, quod cum historia & disciplina illius ævi perfecte non congruat. De *Post-Consulatu* Imperatorum conferendi omnino sunt doctissimi Antonius Pagius (*e*), & Jo. Mabillonius (*f*). Ipsorum enim perpetuus Consulatus cum Imperii initio conjunctus erat. Quare in Bulla papyracea Leonis IIII. data prid. Kalend. Sept.

(*a*) Dupletius *in Antiq. Mon. S. Dionysii lib.* 2. *cap.* 6. *p.* 453. *Paris. A.* 1625.

(*b*) Sunt verba Mabillonii infra laudati.

(*c*) Præfat. *in sæc.* IV. *Ord. S. Bened.* num. 214. Idem *Annal. Ord. S. Bened. lib.* 34. §. 89. Idem *de re Diplom. Tab.* XXVII.

(*d*) Nicolaus PP. *Epist.* 24. *Concil. T.* IX. *p.* 1415. *Edit. Venet.*

(*e*) Ant. Pagius *in Dissert. Hypatica*, & *in Critica Baron. ad A.* 826. *n.* 1.

(*f*) Mabillon. *de re Diplom. lib.* 2. *cap.* 25. *n.* 3. & *in præf.* 2. *sæc.* IV. *Benedictini n.* 214.

Sept. A. 850 quam exhibet Donius (a), tot numerantur anni Imperii Hlotharii, quot post ejus Consulatum: *Imp. Domino nostro piissimo perpetuo Augusto Hlothario a Deo coronato magno Imp. anno tricesimo tertio, & post Consulatum ejus anno tricesimo tertio &c.* Et in alia data Quarto Idus Augusti A. 854 ab eodem Donio memorati, & in recenti Bullario Vaticano (b) edita: *Inp. Dñn. piissimo perpetuo Augusto Lothario a Deo coronatus magno Imp. anno tricesimo & septimo, & post Con.......us anno tricesimo & septimo &c.* Quamplura alia hujusmodi exempla hoc eodem sæculo dabunt Bullæ Stephani IIII. (c), Paschalis I. (d), Joannis VIII. (e), Marini (f), Stephani V. (g), & Formosi (h).

HLOTHARII Annus XXXXIX. in Bulla Benedicti III. signatur, qui desumitur ab A. 817, in quo mense Junio a Hludovico Pio ejus patre consors Imperii factus est (i), qua eadem Epocha usum fuisse comperimus Leonem IIII. in laudatis duabus Bullis A. 850 (k) & 854 (l), & in Inscriptione quam supra Valvas argenteas Basilicæ Vaticanæ insculpi fecerat (m), & in Actis Romani Concilii A. 853 celebrati (n).

HLVDOVICI Annus VII. in Corbejensi Diplomate ab A. 849 deducitur, quo anno a Patre Imperii collega assumptus est (o). Ab eoque eodem anno repetita fuit ejusdem Imperatoris Epocha in iisdem jam laudatis Leonis IIII. Monumentis.

(a) Doni *Inscript. Antiqu. cl.* XIX. *n.* 1. *p.* 468.

(b) Bullar. Basil. Vatic. *T. I. p.* 15.

(c) Bullarium Romanum *postr. Ed. Typis Maynardi T. I. pag.* 64.

(d) Ibidem loc. cit. *pag.* 167.

(e) Ibidem loc. cit. *pagg.* 208. 210. 213. 214. 218.

(f) Ibidem loc. cit. *pag.* 224.

(g) Ibidem loc. cit. *pag.* 227.

(h) Ibidem loc. cit. *pag.* 228.

(i) Ex Annal. Lambecian. Pagius *Crit. Baron. ad A.* 817. & 821.

(k) Apud *Donium in Inscript. Antiq. Cl.* XIX. *n.* 1. *p.* 468.

(l) Ibidem & *in Bullar. Vatic. Basil. T. I pag.* 15.

(m) Concil. *T.* IX. *pag.* 1140. *Edit. Ven.* Holsten. *Collect. Rom. p. r.* II. *pag.* 142.

(n) Concil. *T.* IX. *p.* 1128. & 1135. *Edit. Venet.* & apud Holsten. *Collect. Roman. Par.* II. *p.* 48. & 101.

(o) Pagius *ad A.* 8 4. *n.* 4. Mabillon *de re Dipl. lib.* V. *pag.* 440.

THEODORI Notarii S. R. E. nomen ex aliis ejusdem sæculi Monumentis cognitum habemus. Aderat enim tum Concilio Rom. A. 853 (*a*), tum fortasse ipsimet Benedicti III. consecrationi; siquidem ab hujus Pontificis Biographo traditur, Legatos Hludovici Imp. Anastasio faventes, tunc cum Urbem violenter ingressi sunt [quod Septembris initio accidisse cap. I. num. IX. retulimus], *Gratianum sacri Superistam Patriarchii, atque Theodorum Scriniarium apprehendentes, reclusos lanceis retinuisse & adstrictos.* Hoc eodem Scriniario in Bullis suis usum esse Benedictum III. probat aliud Privilegium, quod Dionysiano Monasterio concessit (*b*): *Scriptum per manum Theodori Notarii Regionarii S.R.E. &c.* Quod autem Romani Pontifices solerent per *Scriniarios* seu *Notarios*, vel *Notarios Regionarios* litteras suas exarare, perspicue probant innumera pene cujuslibet sæculi monumenta, & diserte asserit Nicolaus I., qui in epistola ad Carolum & Hludovicum Reges hoc eos admonere voluit (*c*): *Hanc autem epistolam ideo more solito scribi non fecimus, quia & Legatus vester sustinere non poterat, & ob festa Paschalia Scriniarios nostros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere ut debuimus non valuimus.*

Sequitur in Corbejensi Privilegio nomen THEOPHILACTI SECVNDICERII S. SEDIS APOSTOLICÆ, qui illud consignasse legitur. Nec hujus quidem nomen nobis incognitum est; siquidem in Bulla Leonis IV. quam ex vetustissimo Apographo tempore Innocentii II. exarato novissime protulerunt eruditi viri Dionysius & Martinettus in Bullario Basilicæ Vaticanæ (*d*), legitur: *Dat. 4. Idus Augustus per manum Theophilacti Secundicerii S. Sedis Apostolice* Anno 854.

X. So-

(*a*) Concil. *T. IX. p.* 1134. 1136. *Theodorus Notarius ac Scriniarius S. R. E. legit &c.*

(*b*) Concil. *T. IX. p.* 1258. *Ed. Ven.*

(*c*) Concil. *T. IX. p.* 1424. *Ed. Ven.*

(*d*) *Pag.* 15. *&* 17. Ejusdem Bullæ meminit Donius *in Inscript. Antiq.* Cl. XIX. *pag.* 468.

X. Solemne erat Romanis Pontificibus Acta sua per Primicerium Notariorum conficere, teste libri Pontificalis Auctore (*a*), summæ dignitatis virum, qui primus universi Notariorum Romanæ Ecclesiæ Ordinis habebatur, ac tertius erat inter *servantes locum Apostolica Sedis* (*b*). Proxime hunc dignitate consequebatur *Secundicerius*, qui item è Notariorum collegio erat (*c*). De utrisque hæc Joannes Diaconus in suo Ordine Romano (*d*): *Primus Primicerius, secundus qui dicitur Secundicerius, qui ab ipsis officiis nomen accipiunt. In Romana Ecclesia in omnibus processionibus manuatim ducunt Papam, cedentibus Episcopis & ceteris Magnatibus*. Quod si tantus hisce viris honor habebatur, quid mirum si Romani Pontifices eorum fidei Epistolarum suarum auctoritatem commiserint? Id quidem muneris Primicerio plerumque dabatur. Hinc litteras habemus Leonis IIII. (*e*), Nicolai I. (*f*), Hadriani II. (*g*) Joannis VIII. (*h*) per Scriniarios quidem seu Notarios Regionarios scriptas, sed a *Primicerio* vel *Bibliothecario* consignatas seu *Datas*. Deficiente autem vel impedito *Primicerio*, Secundicerius ejus officii partes implebat, velut in laudata Bulla Leonis IV. data die 10 Augusti A. 854., in nostro Benedicti III. Privilegio, in alia Joannis XII. *Dat. IV. nonas Januarii per manum Georgii Secundicerii Sanctæ Sedis Apostolicæ* An. 856. (*i*), & Joannis XIII. *Dat.* II. *Idus*

(*a*) *In Julio I. sect.* 50.

(*b*) *Lib. Diurn. Rom. Pontif. p.* 9. *Edit. Garnerii*.

(*c*) S. Greg. M. *lib.* IX. *Epist.* 33. „ Hanc „ autem Epistolam Paterio Secundicerio „ Notario Ecclesiæ *nostræ scribendam dictavimus, cuique subscripsimus* „.

(*d*) Apud Mabillon. *Mus. Ital. T.* II. *p.* 570.

(*e*) Doni *Inscript. Antiq. cl.* XIX. *n.* 2.

(*f*) Nicolai I. *Epistola* 24. *T.* IX. *Concil. p.* 1417. & *Epist.* 5. *append.* 2. *p.* 1508. *Ed. Venet.*

(*g*) T. X. *Concil. ejusd. Edit.* & *in Bullar. Roman. Typis Maynardi T. I.*

(*h*) Ibidem.

(*i*) Exst. apud Mabillonium *in Annalibus Benedictinis lib.* 45. *n.* 99. *Tom.* III. Hanc autem Bullam cum cl. Mabillonio in A. 956 contulimus, repugnantibus licet Pagiis, qui in sequentem rejecerant. *Breviar. Gest. Pontif. Rom. in Joanne* XI. *n.* 3. & *in Critica Baron. ad An.* 955 *num.* 1. Indictio enim XIII. quæ ibi notatur, A. 956 currebat; neque vitium exscriptoris hic accu-

Idus Februarii, per manum ejusdem Georgii Secundiarii (lege *Secundicerii*) *S. Sedis Apostolicæ* Anno 967. (*a*): qui *Georgius Secundicerius* ex pluribus aliis Monumentis illius Aevi etiam innotescit, quique postea Monachus & Abbas Sublacensis factus est (*b*). Quemadmodum vero Festa Paschalia quibus Scriniarii S. Sedis occupabantur Nicolaum I. impedierunt, quominus eorum opera, sicut mos erat, uteretur ad exarandas Litteras quas Hludovico & Carolo Regibus inscripsit, ita fortasse alia non mediocris momenti negotia Tiberium Primicerium (*c*) detinuerunt, ne laudatis Leonis IV. & Benedicti III. Bullis manum apponeret, cujus loco ideo suffectum conspicimus Theophylactum Secundicerium. Atque profecto ad Benedictum quod attinet, potissima subesse potuit caussa cur Primicerii opera uti non potuerit. Quod enim Spanhemius contra Privilegii sinceritatem objecit, ut mirum ei visum fuerit, Pontificem 3 Kal. Octobris proxime consecratum, statim cogitare potuisse de rebus ad tam longinquum Corbeiæ Mon. pertinentibus, adeout paucos post dies Privilegium pro eodem consignarit, nec potius novi Pontificatus negotiis incumberet, id pro ejus sinceritate tuenda contra ipsum

accusare licet, quum alia ejusdem Joannis XII. Bulla (quam ex Hugone Flaviniacensi retulit idem Mabillonius *loc. cit.*) eandem præseferat Indictionem. *Datum 5. Idus Januar. per manum Marini Episcopi & S. Sedis Apostolicæ Bibliothecarii Joannis Papæ* XII. *anno primo*, *Indictione* XIIII. Quare initium Pontificatus Joannis XII. diem 2. Januarii A. 956. præcessit, velut sensit etiam clariss. Mansius in suis ad Baron. notis T. XVI. *pag.* 27. *Edit. Lucens.* Obiit Joannes die 13. Maji A. 964. testante Rheginonis Continuatore. *Baron. ad A.* 964. *n.* 17. Porro in vetustis optimæ notæ Catalogis, Farfensi, Cavensi, & Card. Deusdedit legimus Joannem sed. A. VIIII. mens. III. In Casanatensi, A. VIIII. mens. III. Ideoque exordium illius Pontificatus necessario collocandum videtur in Annum 955.

(*a*) Exstat *in Bullar. Roman. Typis Maynardi* T. II. *pag.* 260.

(*b*) Vid. Regest. Sublacens. apud *Murator. Ant. Ital. med. Aevi T* V. *p.* 769. *&c.* & apud Georgium *in not. ad Baron. Edit. Lucens. p.* 88 *&* 156. *T. XVI.* Consulenda etiam Charta quam dabimus in Appendice Monumentorum.

(*c*) De eo mentionem habemus *in Charta A.* 850. *Regesti Sublacen.* apud Georgium *in not. ad Baron.* & apud Muratorium *T. V. pag.* 769 *&c. Ant. med. ævi* & in epist. Nicolai I. *pag.* 1427. *&* 1508. *T. IX. Concil. edit. Venet.* & in *Bulla Leonis IV.* apud Donium *l. c.*

ipſum (*a*) Spanhemium mirifice conducit; ſiquidem quum pro tot novi Pontificatus rebus diſponendis Tiberius Primicerius detineretur, neceſſe fortaſſe fuit, ut Secundicerius ejus loco adhiberetur. Nihil vero obſtat quod in his Pontificatus initiis Benedictus pro Corbejenſi Mon. ſollicitudinem ſuam demonſtrarit. *Servorum* quippe *Dei*, ſeu Monachorum quies ac tranquillitas præcipua ſemper fuit præ ceteris Pontificalibus curis, iis præſertim temporibus, quibus a Laicis adeo vexabantur. Huc accedit, quod ni etiam Mon. ipſius (ceteroquin celeberrimi) cura religioſiſſimo Pontifici cordi fuiſſet, id tamen quamprimum efficere debuiſſet Imperatorum Hlotharii & Hludovici gratia, qui, ut Privilegium hujuſmodi concederet, enixis precibus poſtulaverant.

XI. Quibus breviter indicatis, ſatisfactum arbitror Adverſariis noſtris, qui quum a Corbejenſi Privilegio quam maxime ſe premi viderent, nihil non omiſere quod præſtantiſſimi hujus Monumenti ſinceritatem lædere potuiſſet. Quamquam non diffiteor unum adhuc ſcrupulum eruditis inhærere poſſe, qui ſi hactenus, quod ſciam, in cullius mentem venerit, non eſt tamen a me hoc loco prætermittendus. Hic ſaltem occaſionem præbebit, ut Primiceriorum ac Secundiceriorum Romanæ Eccleſiæ officium & hiſtoria accuratius illuſtretur, quam mihi hac Diſſertatione concedatur. Legimus in Leonis IV. Bulla Theophylactum A. 854 *Secundicerium* Romanæ Eccleſiæ fuiſſe. Idem & in noſtro Corbejenſi Diplomate A. 855. At Benedicti III. Biographus, quum de tumultu Romæ excitato [initio Septem-

(*a*) *Par. IV. cap.6 n.* 11. „ Voici un autre caemple de cette debonnairetè de „ Ben it ſelon les memes Hypotheſes. A „ peine Benoit eſt il affermi ſur la Chaire „ Pontificale de Rome, qu'il penſe à l'Abbaye de Corbie, de la meme maniere „ qu' il avoit pensè a l' Archeveque de „ Rhelms. Un autre Pape auroit ſongè aux „ affaires de ſa maiſon, a cellea de Rome, „ apparement encore en deſordre a cauſe „ de la longue vacance ou du ſchiſme, a „ cèlles de l'Italie & des lieux les plus voiſins de ſon ſiege. Il auroit pensè aux Nonciatures &c. „

Septembris] ab Anastasii & Legatorum Imperialium fautoribus verba faciat, ait *Hadrianum insignem Secundicerium S. Sedis Apostolicæ* ab iis comprehensum fuisse, quem Augusti Legatis Benedictus obviam direxerat. Duos igitur *Secundicerios* hoc anno Romæ fuisse videbitur, quod nescio an aliunde compertum habeamus; an vero ambo ejusdem Notariorum Ordinis Secundicerii censendi sint, definire non audeo, quum plura Palatina & Militaria Officia Romanis Pontificibus tunc præsto essent, iisque Ordinibus qui præerant, *Primiceriorum* & *Secundiceriorum* nominibus iis sæculis sæpe donarentur. Mihi interim pro instituta Corbejensis Privilegii Apologia indicare sat est, plures iis sæculis homines, etsi *Cognominum* ratione, prout hodierna fert consuetudo, minime uterentur, sæpe tamen duobus Nominibus propriis designari consuevisse, quorum modo alterutrum, modo utrumque in Monumentis & Actis publicis privatisve exprimebant. Nec id ignotum etiam Romanorum veterum Ethnicorumque temporibus; sæpe enim in eorum Inscriptionibus legimus *v. g. Afrodite sive Muniva. Nereus qui vocatur Petitius. Felix qui & Clemens*, ceteraque hujusmodi, quæ ab eruditæ Antiquitatis studiosis jam observata fuere *(a)*. Hæc vero frequentissima etiam Barbaricis sæculis occurrunt, sive unum in Baptismo adscitum esset sive alterum vulgo additum fuisset velut *cognominis* gratia *(a)*: Ita porro S. Pudentianæ Titulum tenuisse scimus *Guidonem Clementem* Presbyterum Cardinalem a Lucio II. creatum, qui modo *Guidonis*, modo solo *Clementis* nomine compellabatur: ex quo factum est, ut Ciacconius aliique non unum, sed duos Cardinales fuisse existimarint; quorum tamen errorem optime animadvertit

(a) Consul. Scaliger *in* XIII. *Indice Gruteriano* ceterique Inscript. veterum Collectores, & præcertim Raph. Fabrettus *Inscript. Domest. cap.* III. *n.* XXI. *pag.* 145 & cl. Scipio Maffejus in sua *Verona illustrata*.

(a) Muratorius *in Antiq. Ital. med. ævi T.* III. *diss.* 41. *pag.* 717, 741 *&c.*

tit Aug. Oldoinus, adducto quodam ex libris Joannis Sarisberiensis loco, ubi utroque nomine diserte donatur *(a)*. Atque, ut ex multis quæ hoc in argumento adduci possent novum aliquid proferam, observatu dignum est *Judicium* quoddam *Libertatis*, quod A. 1152. Arimini *in Ecclesia S. Johannis da Foro* celebratum fuit, cujus exemplum ab Autographo fideliter descriptum apud me servatur *(b)*; In eo enim mulier quædam de cujus libertate dubitabatur

G modo

(*a*) Oldoinus in Ciacconium *Vit. Pontificum & Card. T. I.*

(*b*) Ex Chartis Archivii Monast. S. Juliani Ariminen. ,, In die Veneris qui fuit quintus intrante mense Junii. Gnarientus juravit ad sancta Dei Euangelia se dicturum totam veritatem, & tacere falsitatem de lite, que erat inter Boveum & ejus fratrem, filios quondam Marini: necnon inter presbyterum Ottonem, & Gislam ejus sororem & MVSIAM. qñ. (*quando*) interrogabitur a bono Zenone Judice, in quo fuit postea predicta lis de statu libertatis. Qui Gnarientus per districtum Sacramenti interrogatus a bono Zenone Judice dixit. Ego vidi Vendrosam, que fuit uxor Milonis Rape que fuit Mater Uberti & fuit libera mulier, fuitque de domo del Capa liberi hominis, & ex ea domo exivit; & vidi etiam Alfiam que fuit mater Vendrose que erat libera mulier, & vidi Zenam que fuit mater presbyteri Ottonis & Gisle & MARTINE & erat libera mulier, & fuit uxor Uberti Rape, & exivit de domo presbyteri Zenonis de Lieco liberi hões; & vidi prædictas duas mulieres stantes pro liberis & recordor eas personas stantes pro liberis, plus est & quinquaginta annis.

,, Item Zena similiter jurata, & interrogata dixit idem quod Gnarientus; scil. hec dicit, quod plus est 40 annis, quod hoc recordatur, & dixit quod non vidit istum presbyterum Ottonem, nec Gislam, neque MARTINAM servire Marino, neque Rusticello, per famulitatem. Ubertum tamen audivi dici quod servivit eis.

,, Item Doso juratus & interrogatus dixit: Ego vidi matrem Uberti, & matrem presbyteri Ottonis & Gisle & MARTINE que fuerunt libere mulieres. Vendrosa vero fuit de domo Rape, & Zena fuit de domo presbyteri Zenonis de Lieco liberi hões, & mater Vendrose nominabatur Alfia, & hoc recordor plus est 50 annis; has predictas tres personas presbyter Otto & Gisla & MARTINA non vidi servire per famulitatem: Ubertum autem audivi dici quod servivit.

,, Item Martinus de Vendroso similiter juratus & interrogatus dixit idem quod Doso, & hoc recordatur plus est 40 annis. Item predicta die Veneris Casotus in presentia Arduini de Advocato & Golzonis, & boni Zenonis Judicis predicte litis & aliorum juravit ad sancta Dei Euangelia se non pretermissurum utilia & necessaria de predicta lite, & in hoc tantum negotio & curatorio nomine hoc fecit pro filiis quondam Marini.

,, Item sequenti die Sabbati. In presentia Arduini de Advocato, & Golzonis Judices & Guizardi del Panino, Bernardini del Papa, Johannis Falconis, Benfati Calzarerii, Zenonis de Benfato, Conradi Calzarerii, in eorum presentia bonus Zeno Malgrassus Judex hujus negotii & Ordinarius Judex, & Imperatoria dixit: per illas rationes quas auditas habeo ab utraque parte de lite

,, que

modo *Musia* modo *Martina* modo etiam *Martina sive Musia* appellatur.

Quare deficientibus certioribus argumentis ad propositam *Hadriani Secundicerii* ab Anastasio memorati difficultatem solvendam, non improbabiliter conjicere possumus, duplici eum *nomine* (pro sat frequenti temporum illorum consuetudine) usum fuisse & *Hadriani* jam laudati, & *Theophylacti*, velut in duabus jam allatis authenticis Bullis Leonis IV. & Benedicti III. inscribitur.

ΠΗΓΗ *κήπου, καὶ φρέαρ ὕδατος ζῶντος καὶ ῥοιζοῦντος ἀπὸ τοῦ Λιβάνου. Cantic. cap. IV. vers. 15.*



Ex antiqua Gemma
huius magnitudinis.

EX MVSEO VICTORIO

CAPUT

„ que erat inter Bovetum & Compagnonem „ necnon inter presbyterum Ottonem & „ Gislam & MARTINAM SIVE MVSIAM „ de statu libertatis, scilicet absolvo has „ tres personas ab hac lite & a petitione „ famulitatis, quam eis faciebat Bovetus „ & ejus Frater & pronuntio has personas „ liberas esse. Ann. Dñi mill. c. x nono in „ suprascripto die Ind. VII. actum in Ecclesia S. Johannis da Foro.


„ Ego B̄tm (*Bartholomaus*) Nos. „ Sacri Palatii interfui & scripsi.

CAPUT III.

I. *Chronotaxis Pontificia* IX. *sæculi a Spanhemio mire perturbata*. II. *Recensentur Monumenta, quorum ope restituitur, & quatuor inediti Romm. Pontificum Catalogi proferuntur.* III. *In Gregorii* IIII. *& Sergii* II. *Pontificatum inquiritur*. IV. *De Inter-Pontificio, quod a Sergii morte ad Leonis* IIII. *consecrationem intercessit Sollerii sententia expenditur*. V. *Tempus irruptionis Saracenicæ in Urbem male a Spanhemio collocatum*. VI. *Leo* IIII. *Circa diem* 12 *Aprilis A.* 847 *Pontifex consecratur*. VII. *Nec Hlotharius nec Hludovicus Augg. Concilio Romano diei* 8 *Decembris A.* 853 *adfuerunt: ubinam gentium tunc essent*. VIII. *De Epochis Pontificatus Benedicti* III., *Nicolai Primi* IX. *& Hadriani* II. *Indictiones a Kalendis Septembribus Romæ tunc numerari solitæ*.

I. QUÆ sunt hactenus ex bene constitutis Criticorum regulis de anno ac die consecrationis Benedicti III. a nobis exposita, validoque rarissimi Nummi nostri argumento confirmata, totam profecto Joannæ Papissæ Fabulam funditus convellunt. Non præterea tamen se victos esse fatebuntur Adversarii, qui omnia, ut paullo antea diximus, arbitratu suo sus deque agentes, ut congruum collocandæ Joannæ Papissæ temporis intervallum invenirent, commenti sunt conatique probare, Leonis IV. mortem annum integrum Benedicti III. consecrationem antevertisse. Id vero quoniam non sine magna Pontificiæ illius sæculi Χρονοτάξεως perturbatione fieri non poterat, omnes vires suas exeruerunt, ut eandem vitiose a Chronologis concinnatam fuisse contenderent, novamque ipsi suo

ingenio instituerent, quæ Heroinæ suæ figmentis accommodari potuisset. Quod ut assequerentur, omnem illorum temporum rationem, quæ sub Gregorio IV., Sergio II., Leone IV., Benedicto III., Nicolao I., & Hadriano II. effluxit, mire perturbarunt. Nos igitur, ne ex Spanhemii, Lenfantii, Vignoliique Chronologicis rationibus ullum peti valeat argumentum contra tam bene a Panvinio, Baronio, Blondello, Papebrochio, & utrisque præsertim Pagiis Romanorum Pontificum constitutam Χρονοτάξιν, quam nos ipsi sequi non dubitamus, egregieque Nummi nostri ope confirmamus, illud hoc tertio capite demonstrandum suscipimus, turpiter aberrare futilibusque rationum momentis niti Adversarios, quotiescumque in eo versantur, ut aliquod temporis intervallum, cui Joannæ Papissæ Pontificatum assignari possit, inveniant constituantque.



ROMA-

ROMANORUM PONTIFICUM ΧΡΟΝΟΤΑΞΙΣ

Prout a Spanhemio, Lenfantio, & Vignolio Ministro perturbata fuit	Prout a nobis defenditur & restituitur
Gregorius IIII. electus A. 827: obiit circa Martium A. 843. Sedit Annos XVI.	Gregorius IIII. electus A. 827 desinente: obiit initio Januarii A. 844. Sedit Annos integros XVI., non completos XVII.
Sergius II. electus mense Martio A. 843: obiit Majo A. 846. Sedit A. III. mens. I.	Sergius II. post 15. dies Gregorio successit: obiit die 27 Januarii A. 847. Sedit Annos III.
Leo IIII. electus m. Majo A. 846: obiit Kal. Aug. A. 854. Sedit Ann. VIII. mens. III.	Leo IIII. consecratur die 11 vel 12 April. A. 847: obiit die 17 Julii A. 855. Sedit Ann. VIII. mens. III. dies V.
Joan. VIII. Femina electus m. Aug. A. 854: obiit A. 856 m. Sept. Sedit Ann. II. m. I.	Cessavit Sedes mensibus II. diebus XV. & deinceps, nullo alio intermedio Pontifice, successit
Benedictus III. electus m. Sept. A. 856: obiit m. Apr. A. 859. Sedit Ann. II. mens. VI.	Benedictus III. qui consecratur die 29 Septembris A. 855: obiit circa diem 8. Apr. A. 858. Sedit Ann. II. m. VI. dies circ. X.
Nicolaus I. electus m. Aprili A. 859: obiit obiit Id. Nov. A. 868. Sedit Ann. IX. m. VII.	Nicolaus I. consecratur circa diem 24 Apr. A. 858: obiit die 13 Novembr. A. 867. Sedit Ann. VIIII. mens. VI. dies XX.
Hadrianus II. electus mens. Nov. A. 868: obiit A. 872. Sedit Annos IIII.	Hadrianus II. consecratur die 14 Decembr. A. 867: obiit A. 872 circa finem Novembris. Sedit A. IIII. mens. XI. dies.....

II. 1 In

II. 1 In hac porro Chronologica disquisitione, præter cetera viris doctissimis, & utrisque præsertim Pagiis & Papebrochio jam cognita probataque Monumenta, sæpe utar auctoritate insignis Catalogi Romanorum Pontificum sub Nicolao I. confecti, minimeque hactenus vulgati, qui legitur in vetusto Canonum Codice membranaceo formæ quadratæ, insignis Bibliothecæ Vallicellanæ signat. *A. n.* 5., quem mihi humanissime communicavit cl. vir de sacris & profanis Litteris optime meritus Josephus Blanchinius Congregationis Oratorii Presbyter, eidemque Bibliothecæ Præfectus. Prædictum autem Catalogum ipso Nicolao adhuc superstite exaratum fuisse illud argumento est, quod ad ejus usque Pontificatum perductus fuerit, illiusque nomen eodem primigenio charactere notatum, quo reliquus Catalogus conscriptus est; anni vero, menses & dies ejus Pontificatus secundis curis addita, adnotataque appareant. Ceterum insignis hic Catalogus inter probatissimos quosque est numerandus: plerumque enim convenit cum vetustissimis Picturis Basilicæ S. Paulli extra Urbem, aliisque melioris notæ Catalogis, veluti Liberiano, Bergomati, Cavensi, Farfensi, & Lucensi, de quorum præstantia consulendus omnino eruditissimus Franciscus Blanchinius *in Prolegom. ad T.* II. *Anastas. Edit. Vatic. Opusculo* XI. Ideoque communi Litterariæ Reipublicæ bono eundem Catalogum in nostra Appendice Monumentorum edendum curavimus.

2 Secundo loco recensendus videtur alter insignis Catalogus ex Farfensi Codice descriptus, circa ætatem Benedicti III. primum fortasse concinnatus, ut pluribus jam antea docuimus num. IX. Cap. I. Eundem in lucem edidit laudatus Franciscus Blanchinius *loc. cit. Opusc.* XIII. *pag.* CV.

3 Ter-

3 Tertium mihi Catalogum suppeditat vetustissimus Anastasii Bibliothecarii Codex olim Cavensis Monasterii, nunc Vaticanus 3764 qui x. sæculo exaratus judicatur. Catalogus autem in Hadrianum II. desinit, ex quo reliqui Pontifices usque ad Paschalem II. posteriori manu additi fuerunt. Editus autem fuit a cl. Joanne Vignolio *num.* I. *in Prolegomenis suæ editionis libri Pontificalis*. *Romæ* 1724, & a Blanchinio *T. I. Anastasii Bibliothecarii Edit. Vatic. pag.*4.

4 Quartum pono Catalogum illum, qui e vetustissimo Bergomatis Ecclesiæ 800 annorum Codice descriptus fuit sub Paullo II. in Codice Vaticano 1353, unde illum edidere cl. Emanuel a Schelestrate *in Antiqu. Eccles. Illustr. T. I. p.* 626, & Franciscus Blanchinius *loc. cit. Opusc.* VI. *pag.* XVIII. *T.* II. Confectus autem videtur sub Hadriano II. vel Joanne VIII. ad quos usque pertingit.

5 Quintum Catalogum e vetusto Codice Reginæ Christinæ, nunc Alexandrino-Vaticano 232 producit idem Schelestratius *loc. cit. pag.* 633, ubi Pontificum Romanorum nomina leguntur usque ad Formosum, qui circa A. 896 decessit.

6 Sexto loco adhibui alterum nondum editum Catalogum ex Codice Casanatensi membranaceo descriptum, cujus mihi copiam fecit eruditissimus, ac semper non sine magna cum laude memorandus P. Th. M. Mamachius Ordinis Prædicatorum eidem insigni Bibliothecæ Præfectus. Eum porro exeunte sæculo XI. exaratum fuisse existimo, quum ad Paschalem usque II. pertingat, cui nulla temporis, quo sedit, nota apponitur: Nisi etiam alicui videri posset, Pontifices qui S. Gregorium VII. consequuti sunt, videlicet Victorem III. Urbanum II. & Paschalem II., posterioribus curis additos fuisse; quod ego affirmare non ausim. Hujus Codicis excerpta

cerpta quædam edentur in mea Appendice Monumentorum. Integrum autem Catalogum dabit Mamachius in præstantissimo Opere *Originum & Antiquitatum Ecclesiasticarum*, quod magno Ecclesiasticæ Disciplinæ & Litterariæ Reipublicæ bono propediem in lucem est prolaturus.

7 Septimum Catalogum, qui ad Paschalem usque II. pertingit, dat Codex Vatic. 6381, 600 annorum, præfixum Anselmi Episcopi Lucensis Decreto, quem ediderunt & Schelestratius & Blanchinius laudati. Ille *in sua Antiq. Eccles. Illustr. T. I. pag.* 648. Hic *Opusc.* VII *pag.* XIX. *in proleg. ad T.* II. *Anastasii Edit. Vatic.*, qui & Lucensem eum appellavit.

8 Octavus Catalogus exhibetur in Codice Urbin. Vaticano, ejusdemque ætatis est cum superiore. Editus autem fuit a Schelestratio *loc. cit. pag.* 651.

9 Nonum Catalogum ejusdem quoque ætatis suppeditavit Franciscus Blanchinius cl. vir jam supra laudatus ex Collectione Canonum Deusdedit Cardinalis Tituli SS. Apostolorum in Eudoxia, quæ in Vaticana Bibliotheca servatur *Cod.* 3833, *pag.* 7.

10 Decimum Catalogum exhibet Cencius S. R. E. Camerarius in suo libro Censuum Ecclesiæ Romanæ, cujus præstantissimum Codicem vidi apud eruditum virum Petrum Francisc. Cornazzanum Foro-Corneliensem, quem omnium, quotquot superesse sciam, Cencii Codicum αὐθεντικώτατον καὶ παλαιότατον non injuria existimo. Hunc primo exaratum fuisse suspicor ipso Sæculi XII. initio: deinceps vero posterioribus curis, & diversis characteribus addita fuerunt illustriora Acta & Monumenta quæ toto eo sæculo celebrata fuerunt ab Ecclesia Romana. Hujusque Catalogi exemplar unum extat etiam in Vallicellana Bibliotheca *Cod. signat. M.* 11.

11 Un-

11 Undecimum Catalogum habeo ex Cod. Vaticano 629, sub Hadriano IV. primo confectum, quem edidit Jo. Vignolius *num. III. in Prolegom. suæ Edit. Libri Pontificalis*.

12 Nec prætermittendus est quoque Catalogus alter sub Benedicto XI. concinnatus, quem edidit Conradus Janingus *T.* VII. *Act. SS. Junii pag* 55.

His igitur præmissis quoad Monumenta, quorum ope præcipue utar in restitutione Pontificiæ Χρονοτάξεως Sæculi IX. ab Adversariis adeo perturbatæ, institutum opus aggrediamur.

III. Gregorii IV. electionem recte quidem Adversarii nostri in A. 827 rejiciunt, sed male quoad ejus anni tempus. Illi enim, tunc quum Ver esset, factam fuisse existimant, quod aperte adversatur Eginhardo gravissimo & æquali Scriptori, qui ad A. 827 hæc scribit (*a*). *Eugenius Papa MENSE AUGUSTO decessit, in cujus locum Valentinus Diaconus a Romanis electus & ordinatus, vix mensem in Pontificatu complevit. Quo defuncto, Gregorius Presbyter S. Marci electus; sed non prius ordinatus est, quam Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem Populi qualis esset examinaret*. Ex quibus efficitur non ante hujus anni finem, Gregorii consecrationem celebrari potuisse; eo vel maxime, quod Valentinus dies 40 sederit, sicut in vetustioribus Catalogis notatur; & Imperator, a quo Romam Legati missi sunt, eo tempore circa Compendii Aquisgranique fines moraretur (*b*). Sexdecim annos Gregorium sedisse præter primum, secundum, quartum, quintum, sextum, & septimum Catalogos Colbertinos (*c*), testantur ex nostris Vallicellanus (*num.* I.), Far-

H fensis

(*a*) Apud Du-Chesn. *Hist. Franc. Scrip. T.* II. *pag.* 271.

(*b*) Eginhard. *loc. cit.* „ Legati Imp. „ Michaelis ..... Septembri mense Compendium venerunt: quos Imperator benigne receptos ib. audivit & absolvit „.

(*c*) Apud Pagium *in Appar. ad Critic. Baron.*

fensis (*num.* 2.), Cavensis (*n.* 3.), Casanatensis (*n.* 6.), Lucensis (*num.*7), Deusdedit (*num.*9.), Cencii (*num.*10) cum aliis (*num.* 11 *&* 12) (*a*). Addita vero fuit posterioribus curis in Casanatensi Codice alia numeralis nota I. adeout ibi legatur Gregorium A. xvII. sedisse, velut legimus quoque in Catalogo Urbinate (*num.*8), apud Honorium Augustodunensem, aliosque. Hoc autem conciliari sic posse existimo, ut alii xvI. completos annos ipsum sedisse, alii xvII. inchoatos significare voluerint. Bertinianus Annalista, Liutprandus, Sigebertus, Hermannus Contractus & Cencius ipsum A. 844 obiisse scribunt, & fortasse anni hujus initio. Ex quarto enim, & sexto Catalogo Colbertino, ex Farfensi (*num.*2), & ex quibusdam Anastasii Codicibus ac Orderico Vitali compertum habemus *cessasse Episcopatum diebus* xv.; Inde Sergium II. successisse, cui tres Pontificatus annos tribuunt Catalogi primus, tertius, quartus, quintus, sextus Colbertini, Vallicellanus (*num.*1), Farfensis (*num.*2), Cavensis (*num.*3), Bergomas (*num.*4), Casanatensis (*num.*6), Lucensis (*num.*7), aliique

(*a*) 1	Catalogus Vallicellanus. *CIII. Gregorius Annos*	xvI.
2	Catalogus Farfensis. *Gregorius Ann.* *Cess. d.* xv.	xvI.
3	Catalogus Cavensis	xvI.
4	Catalogus Bergomas	xv.
6	Catalogus Casanatensis. *IIII. Gregorius nat. Romanus ex patre Joanne sedit anno*	xvI[I]
7	Catalogus Lucensis	xvI.
8	Catalogus Urbinas	xvII.
9	Catalogus Cardinalis Deusdedit. *Gregorius sedit An.*	xvI.
10	Catalogus Cencii. *IIII. Gregor. ex patre Joann. sed. an.* xvI. *post* DCCCXXVIII. *an. Incarn. Domini*	
11	Catalogus Vaticanus 629	xvI.
12	Catalogus Janingi	xvI.

aliique (*a*). Ipſum vero Sergium die 27 Januarii A. 847 obiiſſe, diſerte demonſtrant Annales Bertiniani (*b*). Quare calculo ducto, circa Januarii finem Sergium Apoſtolicam Cathedram conſcendiſſe reperiemus, quum jam 15 ante dies Gregorius IV. vita functus fuiſſet. Dies conſecrationis Romanorum Pontificum certo nos ſemper invenire non ſinit temporis vetuſtas: Sed nobis tutiora tantum conſectantibus ſatis eſt, ſi menſes ſaltem inquiramus. Cur Adverſarii quoad diem quo mortuus eſt Sergius (27 Januarii) Bertinianorum Annalium auctoritatem tot laudibus efferant, quoad annum vero, eandem nulla prorſus ratione deſpiciant, non video. Nos utrumque probamus, conſentientibus præſertim ceteris jam laudatis Monumentis.

IV. Sed pœnitet Adverſarios (*c*), ſe diei 27 Januarii Sergii mortem aſſignaſſe; mallent enim eam ad Martium

(*a*) 1	Catalogus Vallicellanus. *CIIII. Sergius ſedit Annos*	III.	
2	Catalogus Farfenſis. *Sergius ann. temporib. Lothar. & Lud. Ceſſ. m.* II. *d.* XV.	III.	
3	Catalogus Cavenſis	III.	
4	Catalogus Bergomas	III.	
6	Catalogus Caſanatenſis. *Sergius nat. Rom. ex patre Sergio ſed. A.*	III.	
7	Catalogus Lucenſis	III.	
8	Catalogus Urbinas	XIII.	
9	Catalogus Card. Deuſdedit *Sergius ſedit an.*	III.	*menſem* I.
10	Catalogus Cencii. *II. Sergius nat. Rom. ex patre Sergio ſed. ann. poſt* DCCCXLIIII. *an. Inc. D. & Ceſ. d.* XV.	III.	*men.* II.
11	Catalogus Vaticanus *629*	III.	
12	Catalogus Janingi	III.	II.

(*b*) Apud Du-Cheſn. *Hiſt. Franc. Script.* T. III. *pag.* 203. „ Sergius Romanus Pontifex VI. Kal. Febr. defungitur, & Leo „ in ejus locum eligitur „.

(*c*) *Pag.* 100. *T.* II. *Hiſt. de la Papeſſe.*

vel Majum mensem producere. At si tres integros annos Pontificatus Sergio tribuant, animadvertant difficile posse ejus electionem in Majo saltem mense reponi, quum ab Auctore libri Pontificalis traditum fuerit, quod *eadem die tanta nix in Urbe effusa est, ut omnibus candidata cerneretur:* Id autem sub temperatissimo Romano Cælo nequaquam Majo mense contingere solet. Quod si aliquot menses præter annos 3 Sergii Pontificatui adjiciantur, reponendum censemus; id quidem in vetustioribus Catalogis, quibus major est fides adhibenda, desiderari. Septimus enim Colbertinus Catalogus, qui *A.* III. *mens.* III. *dies* XV., Deusdedit (*num.* 9), qui *Ann.* III. *mens.* I., & Cencius (*num.* 10), qui *An.* III *mens.* II. exhibent, [cum quo & Catalog. *num.* 11, & Martinus Polonus & S. Antoninus consentiunt] inferioris sunt ætatis, nempe sæculi XIII., & sequentium, quam ut auctoritati vetustiorum Monumentorum anteferri debeant.

Joannes Baptista Sollerius (a) Bertinianorum Annalium auctoritatem, quoad diem Sergii emortualem, non aliam ob caussam posthabuit, quam quod existimarit difficile conciliari posse cum iis, quæ de Leonis IV. consecratione [quæ celebrata creditur die 12 Aprilis] narrat Anastasius. Hic enim ait ipso die obitus Sergii Leonem electum fuisse, sed postea, quum *periculum Romanæ Urbis maxime* timeretur, *ne iterum, ut olim, aliis ab hostibus fuisset obsessa; hoc timore & futuro casu perterriti* [Romani], *eum sine permissu Principis Præsulem consecraverunt* (b), quod Sollerius brevissimo paucorum dierum curriculo factum fuisse contendit, nec a morte Sergii potuisse Menses duos cum dimidio usque ad Leonis consecrationem percurrere, quot nempe assignantur in quibusdam Anastasii Codicibus, in

(a) *In vita S. Leonis* IIII. §. 2. *inter Acta SS. Julii T.* IIII. *die* XVII.
(b) Anastas. *sect.* 497. *lin.* 23.

in tribus Catalogis Colbertinis quarto, sexto, & septimo, & in Farfensi [*num.*2], quotque effluxerunt a die 27 Januarii, cui Sergii obitum tribuunt Bertiniani Annales, ad diem 12 Aprilis, qua Leo IV. consecratus fuit. At animadvertat necesse est Sollerius, Saracenos illos qui paucis ante mensibus Urbem invaserant,& quorum caussa Romanorum animi perterriti dejectique erant, jam Africam versus navigasse, & *electionis* Leonis *tempore* naufragio periisse (*a*). Adeoque tunc Romani non præteritos *hostes* seu Saracenos, sed *alios* qui Urbem impetere potuissent, præterito casu edocti, caute pertimescebant. Quod autem Romani Hlothario Imp. *Decretum electionis* de more per Legatos suos miserint, nullus dubito;Sed quum fortasse Imperator longissime agens, *Missos* suos qui Pontificiæ consecrationi adessent, Romam instituere nimium protraxisset, Romani periculum suæ Urbis metuentes, *ne iterum, ut olim*, ALIIS AB HOSTIBUS *fuisset obsessa*, consecrationem diutius differre noluerunt, dieque demum 12 Aprilis Leonem Pontificali dignitate sacrarunt. Hlotharius autem tunc in Palatio Regio Marsnæ ad Mosam (*b*) constitutus erat, ubi mense Februario cum Hludovico & Carolo fratribus quædam *Capitula* celebravit, quæ apud Baluzium leguntur (*c*).

V. Sed ut ad nostros Adversarios revertamur, ex eo etiam confirmari Hypothesim suam arbitrantur, quod eodem tempore & Sergii obitus acciderit & ecclesiarum Urbis direptio

(*a*) *Loc. cit. lin.*12. „ Quid autem *ele-* „ *ctionis sue tempore* Apostolorum suffra- „ giis, suisque sanctis interventientibus „ precibus de Saracenis illis, qui tam ne- „ farium scelus commiserunt, Divina Vir- „ tus peregerit, hoc inconveniens aut re- „ prehensibile non est *sive ob futurorum* „ *sive timorem sive memoriam*, præsen- „ tibus litteris adnotare. *Omnes enim* „ *cum vellent*, iniquitatis ac depræda- „ tionis scelere perpetrato, *ad Africanam* „ *qua venerant, Regionem revertere*, „ *valo Maris pelago vi ventorum procel-* „ *larumque, sicut certa relatione cogno-* „ *vimus, Deo permittente demersi sunt* „.

(*b*) Situm fuit prope Trajectum Mosæ, seu *Mastricht*. Mabillon. *de Re Diplom. lib.*4. *num.*90.

(*c*) Baluzius *Capitular. Reg. Francor. T.*11. *p.* 41.

direptio fuerit a Saracenis perpetrata (a), quam idcirco Majo mensi A.846 assignant. Plura hic paucis verbis mendacia continentur. Saracenorum incursio non Majo, sed Augusto mense contigit; ita enim Bertinianus Annalista ad A.846 (b): *Mense Augusto Saraceni Maurique Tiberi Romam aggressi Basilicam B. Petri Apostolorum Principis devastantes, ablatis cum ipso Altari, quod Tumbæ memorati Apostolorum Principis superpositum fuerat, omnibus ornamentis atque thesauris, quendam Montem centum ab Urbe millibus occupant. Pars autem hostium Ecclesiam B. Pauli adiens, a Campaniensibus oppressa, prorsus interfecta est*. Hæc autem Ecclesiarum direptio non sub Leone, sed vivente adhuc Sergio patrata est. Testem profero ipsum Anastasium (c), ad quem nos Adversarii interpellant, ita scribentem: *Qui tunc praerat Sergius Romanæ Sedis Antistes ex præsenti vita subtractus est,* SUB CUJUS ETIAM TEMPORE *Ecclesiæ Beatissimorum Principum Petri, & Pauli a Saracenis funditus deprædatæ sunt*. Nec Anastasius scribit, tempore hujus Barbaricæ incursionis Sergium obiisse, sed Romanorum animos tunc quum ipse defunctus est ob superiores calamitates valde contritos fuisse, ideoque duplici eos calamitate affectos *videlicet de repentina morte Pontificis, & devastatione quæ facta fuerat in Ecclesiis sanctis, cunctorumque finibus Romanorum ....., cumque ...... de futuro cogitarent Pontifice* Leonem una voce elegisse. Recte igitur nostra Χρονοτάξις & cum Bertinianis Annalibus, & cum libro Pontificali componitur, ut mense Augusto A.846 Saracenorum irruptio contigerit, & Sergius die 27 Januar. A.847 Fatis concesserit, quo tempore Romanorum animi ex præterita clade nimium per-

(a) *Pag.*200 *loc.cit.* Cela s'accorde parfaitement avec une circonstance Historique qu'Anastase a remarquée au commencement de la vie de Leon IV. C'est que la mort subite de Sergius & le ravage qui fut fait dans les Eglises par les Sarrasins arriverent dans le meme tems ».

(b) Apud Du-Chesn. *T.*III. *p.*202.

(c) In Leone IV. *sect.*491. *lin.*10.

perculsi nondum potuerant tam brevi curriculo erigi, quum præsertim Barbari non modo prædictas Urbis Ecclesias, sed illius etiam fines longe lateque vastassent.

VI. Scribit libri Pontificalis Auctor, quod *necdum is qui obierat Pontifex* [Sergius] *ad sepulturam debitam fuerat deportatus* (a), quum Leo electus fuit. Consecratus est autem 11 vel 12 Aprilis die. Nam in quibusdam Anastasii Codd. (b), in Catalogis Colbertinis quarto, sexto, & septimo, & in Farfensi [*num.*2] diserte legitur *cessasse Episcopatum mensibus* II. *diebus* XV. Hoc autem Inter-Pontificium cum iis quæ narrantur in libro Pontificali de Leonis electione eodem ipso, quo Sergius obiit die, quomodo conciliari possit minime assequuntur Adversarii, quibus ignotum est, quod nos Capite sequenti uberius probaturi sumus, *Cessationem* nempe *Sedis* desumi consuevisse a morte præcedentis Pontificis usque ad consecrationem, non vero ad electionem Successoris. A consecratione igitur Leonis, nempe a die 11 vel 12 Aprilis, Anni Pontificatus ejus sunt numerandi. Catalogi porro Colbertini primus, tertius, quartus, quintus, & sextus, & plures ex nostris [*num.*1, 3, 4, 6, 7, 8, 9] Annos VIII. mens. III. d. V. ipsum sedisse demonstrant. Codex Anastasii Thuanæus, Catalogus Farfensis, & II. Colbertinus, Honorius Augustodunensis, Cencius [*num.* 10], Catalogus Janingi [*num.* 12], & Leo Urbevetanus unum tantum addunt diem, nempe *A.* VIII. *mens.* III. *dies* VI., qui complentur die 17 Julii A. 855, quo Leonem IV. obiisse ex Anastasio aliisque monumentis Primo Capite (c) jam luculenter probavimus.

VII. Sed

(a) In Leone IV. *sect.*469. *lin.*9.

(b) Nempe in Codd. Freheriano & Thuanæo apud Fabrottum, in Vaticano XII. sæculi (ad calcem T. XIV. *Annal. Baronii pag.*614. *Edit. Lucens.*) in Regio-Alexandrino-Vaticano 69. & Farnesiano *E.* 4. *num.* 21.

(c) Præter ea, quæ *num.* 3. *cap.* 1. adduximus de die emortuali, festoque Leonis IV., consuli etiam possunt plures Usuardini

VII. Sed multum sibi adjumento futurum confidunt Adversarii, quod narratur in libro Pontificali de Daniele Magistro militum, quo plura Hludovico Imperatori falso & calumniose referente de Gratiano Sacri Palatii Urbis Superista, *Imperator Romam venire velociter procuravit (a)* : & rebus ibi pro animi sui sententia compositis *abiit, & sanctissimus Domnus Leo IV. Papa non post multos dies obdormivit in Domino (b)*. Non ignorant Adversarii celebra-

dini Martyrologii Editiones (*in Actis SS. Junii Tom.* vII. *pag.* 406.), Martyrologium Romanum, Petrus de Natalibus, Ptolemæus Lucensis *Hist. Eccl. siast. lib.* xvI. *c.* a. (inter *Script. Rer. Ital. T.* xI. *pag.* 1013.) & Leo Urbevetanus in Pontificum Chronico (quod ad A. usque 1314. perduxit, quodque ed tum habemus opera viri clarissimi, & bono Litterariæ Reipublicæ nati, Joannis Lamii Tomo II. *Delic. Erudítor. pag.* 142.) his verbis „ Leo Papa Romæ „ moritur plenus sanctis moribus ac operibus, & in Ecclesia B. Petri sepelitur, „ *cujus Festum agitur* xvII. *Kal. Augusti* „. Ceterum quoad Epocham illius Pontificatus en Catalogorum nostrorum Synopsis:

1	Catal. Vallicellanus. cv. *Leo sedit Annos*	VIII.	*menses*	III. *d.* V.
2	Catal. Farfensis *Leo* [IIII] *ann*	VIII.	*m.*	III. *d.* VI.
	Cess. m. II. d. XV.			
3	Catalogus Cavensis	VIII.		III. V.
4	Catalogus Bergomas	VIII.		III. V.
6	Catal. Casanatensis. IIII. *Leo nat. Rom. ex patre Rodoaldo sedit A.*	VIII.	*mens.*	III. *d.* V.
7	Catalogus Lucensis	VIII.		III. V.
8	Catalogus Urbinas	VIII.		III. V.
9	Catal. Card. Deusdedit. IIII. *Leo sed. ann.*	VIII.	*menses*	III. *d.* V.
10	Catalogus Cencii *Leo natione Romanus ex patre Dualdo sedit ann.*	VIII.	*menses*	III. *d.* VI.
	post DCCCXLVII. *ann. Inc. Dni & cess. d.* VI.			
11	Catalogus Vaticanus 629.	VIIII.		III. V.
12	Catalogus Janingi	VIII.		III. VI.

In historia Romanorum Pontificum auctore Anonymo sub Cælestino III. concinnata (apud Bern. Pezium *Thes. Novi Anec. T.* II. *Par.* III.) dicitur Leonem sedisse *annos* IX. *menses* III. *usque ad A.* 755, quod utique falsum est. Leo Urbevetanus scribit sedisse *A.* VIII. *mens.* III. *dies* VI. *& cessavit Episcopatus diebus* VI.

(a) In Leone IV. *sect.* 554. *lin.* 13. (b) Ibidem *sect.* 555. *lin.* 19.

lebratum Romæ fuiſſe Concilium 67 Epiſcoporum die 8 Decembris A. 853 (*a*): Ei adſuiſſe exiſtimant Hludovicum Imperatorem (*b*), quem Romam profectum putant eodem anno 853, ut de criminibus Gratiano imputatis cognoſceret: Indeque rediiſſe Anno ſequenti, Junio menſe, aut Quintili, cujus 17 die Leonem obiiſſe contendunt. Sed ut Anaſtaſii auctoritas cum Spanhemianis ratiociniis convenire poſſet, debuiſſet Hludovicus Julio incipiente, vel ad ſummum circa Junii finem Roma proficiſci; ſiquidem Leo Papa *non poſt multos dies*, nempe 17 Kal. Julias, *obdormivit in Domino*. At contrarium plane evincit Diploma a cl. Muratorio evulgatum, ex quo patet Imperatorem jam inde ab initio Junii in Lombardia moram feciſſe. Datum enim fuit hoc anno 854 *Nonis Junii*, Anno Hlotharii xxxv. Hludovici Imp. in Italia v. Indictione 1I. *in Brixia Civitate* (*c*).

Sed præterea quonam argumento Adverſarii noſtri adſtruere poſſunt, Hludovicum ad Synodum Romanam A. 853 acceſſiſſe? Leonis IV. Biographus, quum antea de hac Synodo Romæ peracta peculiariter verba feciſſet, alia plura Leonis geſta refert, ac poſtremo circa Vitæ finem Gratiani accuſationem recenſet, inopinatumque ea de cauſſa Hludovici Imp. Romam adventum; non hæc quidem omnia confundens, ſed alterum ab altero diſerte ſecernens. Et bene quidem, quum meo judicio ſatis aperte conſtet nec Hlotharium, nec Hludovicum laudato Concilio interſuiſſe. Etſi enim *una cum*

I *conſi-*

(*a*) Apud Baronium *ad A. 853. n. 32.* & ibi Pagius *num.* 12 & Concil. *Edit. Ven. T.* VIII. *p.* 1127.

(*b*) *Pag.* 203. *T.* II. *Hiſt. de la Papeſſe &c.* „ Ainſi il eſt naturel de penſer que „ l' Empereur alla a Rome vers la fin de „ l'An 853, qu' il employa la premiere „ partie de l' An 854 a terminer l' affai„ re pour la quelle il etoit venû à Rome „ & qu' il s' en retourna vers le milieu „ de l' Annèe, c' eſt a dire au mois de „ Juin ou de Juillet „.

(*c*) Muratori *Ant. Ital. med. avi. T. I. pag.* 927.

consilio Serenissimorum Lotharii & Ludovici Impp. (a) coactum fuisse dicatur, non ipsi tamen Augusti, sed *quatuor Legati* seu *Missi* adfuerunt *ab Imperatoribus destinati*, *Joseph Eporegiensis* (b), *Nottingus Brixiensis*, *Petrus Spoletinus*, & *alius Petrus Aretinus* Episcopi (c), qui in Concilii Actis *Missi Imperiales*, & *Missi sacratissimorum Imperatorum* dicuntur (d). Ipsos alloquutus legitur Leo IV. in eadem Synodo, cum iis sermo semper institutus, iidem sæpe compellantur; Imperiales Litteræ proferuntur; omnia, quæ a Hlothario & Hludovico Augg. in caussa Anastasii gesta fuerant, fuse narrantur; at de ullius Imperatoris præsentia ne verbum quidem. In altero sane Concilio Romano incerti anni [quod tamen A.850 (e) celebratum fuisse existimo] longe aliter res habuit. Nam usque dum Hludovicus

(a) Anastasius in Leone IV. *sect.* 544.

(b) Joseph Episcopus Eporediensis, & Abbas Novaliciensis Monasterii, velut discimus ex Diplomatibus Hlotharii apud Muratorium *in Antiquit. Ital. med. ævi. T.* VI. *pag.* 315. *& T.* V. *pag.* 971, Hludovici Imperatoris demum *Archicapellanus* creatus est. In Placito Synodi Romanæ A. 850 [*apud eund. loc. cit. T.* VI. *p.* 391. D. 394. C. 395. A.] *Archicapellanus Domni Imperatoris* diserte appellatur. Hlotharius Aug. in Epistola ad Leonem IV. [*inter Acta Concil. Romani A.* 853. *Concil. T.* IX. *pag.* 1137. *B. Ed. Ven.*] eundem *reverendissimum Episcopum, atque dilecti filii nostri Hludovici Archicapellanum* dicit. In Synodo autem *Regia Ticin.* circa A. 850 celebrata, is *Archicapellanus totius Ecclesiæ* vocatur [*Concil. loc. cit. pag.* 1065. *A.*]; ex quibus verbis Dominicus Berninus [*Il Tribunale della S. Rota Romana pag.* 10. *&* 18.] falso credidit, eundem Romani Pontificis *Archicapellanum*, seu S. Rotæ Romanæ *Decanum* fuisse. Sed caussam affero cur idem & Imperatoris, & totius Ecclesiæ *Archicapellanus* dici poterat. Imperatoria Dignitas tum Romana Ecclesia, quæ omnium Mater est, tum ceterarum omnium tutelam ac patrocinium in se continebat: ideoque Hlotharius Imp. cum Hludovico Pio ejus patre sic loquens inducitur a Paschasio [*in vita Walæ lib.* 2. *num.* 17. *cap.* 3. apud Mabillon. *Sæc. Bened. IV. Par. I. pag.* 513.] „ Perpendat Sublimitas vestra ...... quod „ æque me suscipere fecit *hanc curam &* „ *defensionem ipsius permaxime* (Romanæ „ Ecclesiæ), *ceterarumque Ecclesiarum*, „ quando me consortem totius Imperii „ Celsitudo vestra una cum voluntate Po- „ puli constituit „. Et in Formula *Patriciatus* hæc exprimebantur: *Hunc honorem tibi concedimus, ut Ecclesiie Dei & pauperibus legem facias, & inde apud Altissimum Judicem rationem reddas*. Plura vide apud Petrum de Marca *in Concord. Sacerd. & Imp. lib.* 1. *cap.* 12. & Justum Fontaninium *Difesa I. di Comacchio n.* 98. 103. & alibi.

(c) Anastas. *loc. cit.*

(d) Apud Holsten. *in Collect. Rom. Par.* 2. *pag.* 101. *&c.* & *Concil. T.* X. *pag.* 1135. *& seqq. Edit. Venet.*

(e) *Vide Not. in num. ult.* hujus capitis.

cus Imp. eidem adfuit, omnis tum a Leone Pápa, tum a Synodi Patribus ad eum inſtituebatur oratio, ipſe interrogabatur, ipſemet ceteros alloquebatur, nec *Miſſi* uſquam memorantur. Sed quum controverſia de qua agebatur longius protraheretur, tunc *Imperator, relictis Miſſis ſuis ad iſtam Cauſam finiendam, ideſt Joſeph Archicapellano, Angelberto Archiepiſcopo, Notingo Epiſcopo, & Adelcheſi Comite, a Concilio diſceſſit* (a).

Sed conſulantur demum Synodi ipſius ſubſcriptiones. In iis primum exhibetur Leo Pontifex, poſtea Hlotharii nomen inſeritur, his verbis *Hlotharius Imp. ſubſcripſit*, deinde *Paulus Diaconus vicem agens Joannis Archiepiſcopi Ravennæ, Joſeph Epiſcopus Eporedienſis* cum aliis tribus Legatis, ceteriſque Synodi Patribus. *Hludovici* vero nomen nullibi invenitur. Quoad Hlotharium, aſſerit quidem cl. Joannes Dominicus Manſius (b), ipſum Concilio adfuiſſe: Id quod ſubſcriptio laudata eidem fortaſſe perſuaſit; qua tamen nil aliud efficitur præterquam quod Hlotharium licet abſentem, vel tunc per Legatos ſuos, vel poſtea per ſe ipſum ſententiam damnationis Anaſtaſii confirmaſſe. Hujus quidem moris exempla non pauca ſuppeditat ſolertiſſimus harum rerum indagator Joannes Mabillonius, qui *lib.* II. *cap.* XX. *n.*4 *de Re Diplomatica* hæc ſcribit: *Synodicis Diplomatibus non ſolum præſentes Epiſcopi ſubſcribebant, ſed etiam abſentes, immo & futuri. Unde factum eſt, ut in vetuſtis illis Monumentis poſt præſentium nomina, aut certe inter finem contextus & eorum ſubſcriptiones amplum non raro ſit relictum ſpatium, quod abſentium & futurorum ſubſcriptiones capere poſſet.* Quod pluribus & argumentis & exemplis Vir doctiſſimus con-

(a) Ex quodam Præcepto Synodali apud Muratorium *in Antiqu. Ital. med. ævi. T.* VI. *p.* 389. Hæc autem Synodus non eſt confundenda cum altera quæ die 8 Decembris A. 853 celebrata eſt, prout inferius probaturi ſumus *in Not. ad num. ult.* hujus capitis.

(b) Manſius *in Supplem. ad Concil. Veneto-Labbeana T. I. pag.* 927.

confirmat (*a*); ideoque hoc pacto non ſemel accidit, ut duo vel plures ejuſdem Sedis Epiſcopi in hujuſmodi Synodicis ſubſcripti reperiantur: quod & in Diplomatum quoque Regiorum ſubſcriptionibus non raro factum fuit. Hlotharium vero, quo tempore Synodus Romæ celebrabatur [die 8 Decembris A. 853] longiſſime abſuiſſe, plura ſunt quæ ſuadent. Ipſo enim præcedenti Novembri menſe *ad Valentianas* [Galliæ Belgicæ Urbem] Regni *Conventum* habuerat, in quo plura condidit *Capitula*, quæ apud Baluzium legi poſſunt (*b*). Inde *Leuticum* divertit, ubi initio ſequentis Anni 854 a Carolo fratre Aquitaniæ Rege conventus eſt. Ibi colloquio habito, & ſocietate inter fratres firmata, Carolus *profectionem in Aquitaniam tempore Quadrageſima celebrat, in qua uſque ad Paſchalem feſtivitatem demoratur* (*c*). Sed rebus infectis rurſus ad Hlotharium ſe contulit, quocum *apud Attiniacum* alium *Conventum* menſe Junio celebratum fuit (*d*). Hlotharius interim Prumiam verſus proficiſcitur, & 6 Idus Julias in Palatio Regio *Manderfelti* quoddam Diploma conſignavit (*e*). En igitur quam longiſſime Roma his temporibus abeſſet Hlotharius, qui tunc in Gallia Belgica morabatur, quum Synodus a Leone Papa pro Anaſtaſii cauſſa Romæ cogeretur.

In Libri Pontificalis textu mendum irrepſiſſe putant Adverſarii (*f*), ubi legitur, Danielem Magiſtrum militum

ad

(*a*) Alia vide *lib.* 15. *n.* 2. *T. I.* & *lib.* 19. *n.* 59. *T.* II. *Annal. Benedictin.*

(*b*) Baluzius *in Capitular. Reg. Franc. T.* II. *pag.* 61.

(*c*) Annales Bertiniani *ad A.* 854 apud Du-Cheſn. *T.* III. *pag.* 206. *Rer. Franc. Script.*

(*d*) Baluzius *loc. cit. pag.* 69. Eckart. *Rer. Franc. Orient. T.* II. *lib.* 30. *n.* 107.

(*e*) Apud Martenium *in Vet. Monum. T. I. pag.* 138.

(*f*) *Hiſt. de la Papeſſe &c. T.* II. *pag.* 205. „ Au reſte comme Lothaire etoit „ encore Empereur en chef lorſque Daniel partit de Rome pour aller porter „ ſes plaintes a la Cour Imperiale, je „ juge que ce paſſage d' Anaſtaſe a etè „ falſifiè, de meme que pluſieurs autres. „ Anaſtaſe avoit nommè Lothaire ſeul, „ ou Lothaire & Louis enſemble. Mais „ les corrupteurs d' Anaſtaſe ont retranchè le nom de Lothaire &c. „

ad Hludovicum dumtaxat, non item ad Hlotharium Imp. perrexisse, ut infidelitatis crimine Gratianum *Romanæ Urbis Superistam* (*a*) accusaret. Sed in tam gravis momenti negotio quælibet mora nimium periculosa videri potuisset; ideoque Daniel ex duobus Imperatoribus eum, qui propior esset, convenit, nempe Hludovicum tunc in Lombardia agentem, ut *num.* VII. *Cap.* I. jam adnotavimus, eo vel maxime quod omnem Italici Imperii procurationem Hludovicus a Patre obtinuisset; quod *num.* VI. ejusdem Capitis fusius probavimus. Hlotharius autem eo tempore in remotissimis Franciæ Orientalis partibus agebat. Vel hæc enim A. 854 evenerunt juxta falsam Adversariorum Hypothesim, & Hlotharius tunc apud Attiniacum, Leuticum, & Prumiam morabatur; vel Anno sequenti, prout revera accidit, & iisdem etiam in locis versabatur, veluti ex Datis variorum Diplomatum colligi potest, quorum alterum Aquisgrani consignatur 5 Kal. Februar., alterum in Novo Castello 7 Idus Julii, postremum Sconilare 13 Kal. Octobris (*b*).

Quibus omnibus liquido constare arbitror nec Hlotharium nec Hludovicum Synodo Romanæ diei 8 Decembris A. 853 interfuisse, nec Hludovicum pro Gratiani caussa A. 854, sed A. 855 Urbem petiisse, adeoque Leo-

(*a*) Gratianus hic *Romanæ Urbis Superista* ansam præbuit Jo:Georgio Eckhart suspicandi, Imperatores habuisse in Urbe *Palatium*, & *Palatii Præfectum*, *qui hic nova voce SUPERISTA dicitur*; adeoque ex hoc inferri *Potestatem* & *Dominationem* in Urbe exercuisse. Ita cl. Auctor *Rer. Franc. Orient. lib.* 30. *num.* 116. Sed quoad *Superistæ* Dignitatem egregie fallitur. Gratianus enim non Imperatorii Palatii *Superista* erat, sed Lateranensis Patriarchii, quod *Palatii* nomine a Romanis Scriptoribus sæpe designari solebat. Benedicti III. Biographus *sect.* 561. *lin.* 10. eundem *Gratianum sacri Superistam Patriarchii* diserte appellat. Joannes PP. VIII. *epist.* CCLXXII. ad Carolum Crassum scribit, mitti abs se *Petrum insignem Palatii nostri Superistam* [*Concil. T.* IX. *p.* 200. *Ed. Paris.*]. In Charta Regesti Sublacensis ad A. 866 pertinente [apud Jo Dominicum Georgium *in notis ad Baronium T.* XV. *Ed. Lucen. pag.* 55.] nominatur *Leo eminentissimus Consul & Dux atque Superista*. Plura dabit Cangius *in Gloss. med. & inf. Latinit.* v. Superista.

(*b*) Apud Martenium *T. I. Vet. Monum. pag.* 136. 138. 140.

Leonem IV. hoc tantum anno, non præcedenti, vita functum fuisse.

VIII. Quoad Benedicti III. exordia, nihil est cur ea quæ superioribus Capitibus I. & II. egregie firmata sunt, hoc rursus loco repetamus. Eundem vero proxime post Leonem IV. Apostolicam Cathedram conscendisse, nullo alio Pontifice intermedio, luculenter testantur Scriptores omnes & Monumenta quotquot exstant XIII. vel XIV. sæculo antiquiora, velut *num.*II. *Cap.* I. satis innuimus. Concilium Tullense, quatuordecim post Benedicti obitum mensibus, hoc est mense Junio Anni 859 celebratum, præclare idipsum confirmat his verbis (*a*): *De qua reverentia salubriter a vobis & a Gente vestra Metropolitano impendenda, tempore Nomenoii Ducis, & reverendissimi* PAPÆ LEONIS ET SUCCESSORIS EJUS BENEDICTI *scripta docuerunt, & refragantibus Apostolicæ auctoritati dignam excommunicationis protulerunt sententiam*. Nicolaus Papa in Epistola ad Episcopos Synodi Suessionicæ III. data die 6 Decembris an. 866 (*b*), ait: *Interea ...... Apostolicæ Sedis Pontifex Leo, qui fratris Hincmari propositum noverat, ab hac luce subtractus est: cumque sanctæ memoriæ* BENEDICTUS, *vir Apostolicus* EI SUCCESSISSET IN ORDINE PONTIFICATUS, *rursus reverendus Hincmarus arma præparat & eidem summo Præsuli, tanquam suarum inexperto versutiarum latenter subripit, & in ipso consecrationis ejus principio suadet, ut Concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret &c.* De qua eadem re ipse Hincmarus ad Nicolaum hæc scripserat (*c*): *Missos meos cum litteris ..... Romam direxi, quibus in via nuncius venit de obitu Papæ Leonis: pervenientibus autem Romam cum præfatis litteris, Domnus nomine & gra-*

(*a*) Concil. T. VIII. *pag.* 695. *Edit. Parif.*
(*b*) *Loc. cit. pag.* 845, *&* 846.
(*c*) Hincmarus Rhemensis *epistola* 26 *ad Nicolaum I.*

& gratia Benedictus mihi quod nostis Privilegium inde direxit. Hæc quidem invictissima sunt argumenta, quibus nequaquam Adversarii adhuc satisfecerunt; Sed quo magis res in aperto collocetur, addam & alterum præstantissimum Monumentum non multis abhinc annis in lucem editum ab eximio viro Francisco Blanchinio *in Prolegomenis ad Tomum* II. *Anastasii Vaticanæ Editionis pag.* LXI. Est autem antiquus Episcoporum Neapolitanæ Ecclesiæ Catalogus circa IX. sæculi finem confectus, & ex vetustissimo illius ætatis Codice (*a*) erutus, ibique exhibetur Athanasii Episcopi nomen, & Episcopatus ejus Epocha ad tempora Romanorum Pontificum qui suo tempore vixerunt relata. *Athanasius Episc. sed. ann.* XXII. *mens.* VI. *dies* XXIIII. .... *Fuit temp. Leoni. & Benedicti. Nycolai Adriani Pap. & Michaeli. & Basilii Imp.* En igitur luculentissimum testimonium, & ex Romanæ Ecclesiæ scriniis haudquaquam expiscatum, quod proximam post Leonem IV. Benedicti III. successionem demonstrat. Vetustissimi quique Romanorum Pontificum Catalogi, & libri Pontificalis, qui Anastasii nomine vulgo circumfertur, Codices, quotquot supersunt, idem plane confirmant. Horum plures hic Romæ omnium oculis patent, alii Florentiæ, Venetiis, Lucæ, & alibi, decimo & sequentibus sæculis exarati, in quorum nullis Joannæ Papissæ Fabula apparet, ac sicubi legitur, eadem recentiori charactere addita & inserta fuit. Exemplo sit antiquus & optimæ notæ Codex Vaticanus 3762, ubi post vitam Gregorii II. legitur PETRUS GUILLERMUS BIBLIOTHECARIUS APUD ACEJUM DUM IBI MORARETUR ANNO DOMINICE INCARNACIONIS MILLESIMO C. XLII. Ibi igitur testante Vignolio (*b*) *prope finem Vitæ Leonis IV. posteriore ac minutiore* cha-

(*a*) Codex membranaceus Bibliothecæ S. Marci Florentiæ litteris Longobardicis exaratus, quarum specimen dedit Blanchinius *loc. cit. pag.* 59.

(*b*) *In Præfat.* ad suam Editionem libri Pontificalis.

charactere addita fuit Joannæ Papissæ Fabula, quæ inferiorem paginæ adversæ folii 124 marginem implet. Ex quo putidam istam & anilem ejusdem Papissæ Fabulam ante annum saltem 1142, quo liber scriptus dicitur, hoc est post trecentos fere annos a Leonis IV. morte, cui (Benedicto III. proximo illius successore posthabito) eam proxime successisse faciunt, nondum ab ignaro prorsus Chronologicæ Romanorum Pontificum historiæ excogitatam fuisse liquet. Alia Romanorum Pontificum brevis Historia superioribus annis in lucem prodiit ex manuscripto Cod. Monasterii Zwentlensis curante cl. viro Bernardo Pez Cælestino III. vivente circa annum 1191 exarata, in qua post Leonem IV., qui *numero* 105 exhibetur, sequitur *numero* 106 Benedicti III. nomen, nullo alio interjecto Pontifice. Ex quo apparet Joannæ Fabulam Anno 1191 nondum cognitam fuisse. Auctor seu concinnator Operis prædicti clarissimo Editori natione Germanus videtur, etsi multa, meo quidem judicio, ex Anastasio, Petro Bibliothecario aliisque in Opus suum traduxerit.

Sed ut ad institutam Romanorum Pontificum Χρονοτάξιν revertamur, animadvertere est, in omnibus Pontificiis Catalogis Benedicti III. Pontificatum Annis II. & mensibus VI. definiri, exceptis tantum & Cencii (*num.*10), & Janingi Catalogis (*num.* 12) in quibus menses V. notantur, & septimo Colbertino in quo VII., & Farfensi, in quo per librarii errorem *Ann.* XX. irrepserunt. Dies autem in primo, tertio, & quinto Colbertinis & apud Honorium Augustodunensem assignantur VI., in Farfensi VIII., in quarto, & sexto Colbertinis IX., in septimo, in Cavensi (*num.* 3), Lucensi (*num.* 7), Urbinate (*num.* 8), dies X., in Vallicellano (*num.*1) & Bergomati (*num.* 4) XI. Hisce igitur antiquioribus monumentis inhærentes statuamus

(*a*) Thesaurus novus Anecdotorum *T. I. Par. III. pag.* 171.

tuamus cum Pagio Benedictum III. sedisse annos II. menses VI. dies circiter X (a); ideoque in diem 29 Septembris A.855 ejus consecratione rejecta, eundem obiisse arbitratur Pagius die 8 Aprilis A. 858, quod & nos vehementer probamus. Ac re quidem vera notant Colbertini Catalogi quartus, sextus, & septimus, Anastasii Codices Regius, Cavensis (b) & Barberinus (c) vacasse tunc Sedem diebus XV., quos si addamus diei 8 Aprilis quo mortuum dicimus Benedictum, liquido constabit Nicolaum consecratum fuisse die 24 ejusdem mensis, quæ hoc anno in Dominicam incidit, in eam nempe diem, qua Summorum Pontificum consecrationes ea præsertim ætate fieri solebant,

K

(a) 1	Catalogus Vallicellanus. *CVI. Benedictus sedit Annos*	II. *menses*	VI. *dies*	XI.
2	Catalogus Farfensis *Benedt* [III] *an.*	XX. *m.*	VI. *d.*	VIII.
3	Catalogus Cavensis	II.	VI.	X.
4	Catalogus Bergomas	II.	VI.	XI.
5	Catalogus Vatic. 232	II.	VI.	VI.
6	Catalogus Casanatensis. *III. Benedictus nat. Rom. ex patre Petro sed. A.*	II. *mens.*	VI. *dies*	VI.
7	Catalogus Lucensis	II.	VI.	X.
8	Catalogus Urbinas	II.	VI.	X.
9	Catalogus Cardinalis Deusdedit	II.	VI.	VI.
10	Catalogus Cencii. *III. Benedictus nat. Rom. sed. ann.*	II. *m.*	V.	
	post DCCCLV. *an. Incarn. Domini & Cess. d.* XV.			
11	Catalogus Vaticanus 629	II..	VI.	VI.
12	Catalogus Janingi	II.	V.	

In Historia Rom. Pont. sub Cælestino III. conscripta legitur Benedictum sedisse *Annos duos, menses sex usque ad A.* 859. Leo Urbevetanus ponit *Annos duos, menses quinque, & cessavit dies* 15.

(b) Apud vir. cl. Jo. Dominicum Georgium *in Var. Lect. Anastasii* Editis ad calcem *T.* XIV. *Annal. Baronii Edit. Lucens. pag.* 616.

(c) Cod. 2017. membr. Bibl. Barberinæ cum Glossis ineditis Petri Episcopi Urbevetani.

bant, quemadmodum pluribus docuit Papebrochius, & Pagius regula sua sexta egregie firmavit.

Sedit Nicolaus in Apostolica Cathedra Annos IX. menses VI. dies XX. Id enim diserte testantur melioris notæ Catalogi Vallicellanus, Farfensis, Cavensis, Bergomas, Casanatensis, Lucensis, Urbinas (a). Immo in Casanatensi, in quo dies XXIX. primùm notati fuerant, ab alia vetusta manu, quæ Codicem distinxit & emendavit, dies IX. deleti fuere. Vallicellanus autem Catalogus, meo quidem judicio, præ ceteris auctoritate præstat, qui, ut supra innui, ipso Nicolao superstite exaratus fuit; ideoque numerus annorum, mensium, ac dierum, quibus Ecclesiam rexit, posteriore manu adnotatus apparet. Ad amussim vero Epocha prædicta Nicolai Pontificatum designat.

(a) 1	Catalogus Vallicellanus. *CVII. Nicolaus sedit ann.*	[VIIII] *men.*	[VI] *dies*	[XX]
2	Catalogus Farfensis	VIIII.	VI.	XX.
3	Catalogus Cavensis	VIIII.	VI.	XX.
4	Catalogus Bergomas	VIIII.	VI.	XX.
5	Catalogus Regio Vatic. 232	VIIII.		XV.
6	Catalogus Casanatensis. *Nicolaus nat. Rom. ex patre Theodoro sed. A.*	VIIII. *men.*	VI.	XX[VIIII]
7	Catalogus Lucensis	VIIII.	VI.	XX.
8	Catalogus Urbinas	VIIII.	VI.	XX.
9	Catalogus Card. Deusdedit	VIIII.	VI.	XX.
10	Catalogus Cencii. *I. Nicolaus nat. Rom. ex patre Theodoro sed. ann.*	VIIII. *m.*	II. *d.*	XX.
	post DCCCLVIII. *ann. Inc. Dom.*			
11	Catalogus Vaticanus	VIIII.	VI.	
12	Catalogus Janingi	VIIII.	II.	XX.

In Historia Rom. Pont. apud Pezium notantur *anni* VIIII. *men.* VIIII. *usque ad A.* 868. apud Leonem Urbevetanum *anni* VIIII. *mens.* II. *dies* XX.

ſignat. Namque a die 24 Aprilis A. 858 quo conſecratus eſt, ad diem 13 Novembris A. 867 quo obiit, tot omnino anni menſes ac dies numerantur. Ipſum vero Idibus Novembris e vita migraſſe tradunt, tum Anaſtaſius Bibliothecarius in quadam epiſtola, qua ejus mortem Adoni Viennenſi Archiepiſcopo nunciavit *(a)*, tum ipſius Nicolai Biographus, qui & addit Indictionem I. tunc numeratam fuiſſe *(b)*, quæ Græco more ipſis Kalendis Septembris Anni 867 jam decurrere cœperat.

X. Noſtris vero Adverſariis, quibus curæ eſt ad falſas Hypotheſes ſuas tuendas Nicolai mortem in Annum uſque 868 protrahere, placuit Indictionem I. a Biographo notatam Romano potiùs quam Græco more interpretari. Romani enim conſueverunt, Indictiones non a Kalendis Septembris, ut apud Græcos, nec ab 8 Kal. Octobris ut Conſtantinopoli & alibi, ſed a Kalendis Januariis inſtituere, ut deinceps hæc Indictionum computandarum ratio Romana fuerit appellata. Verum perſuaſum ſibi omnino habeant Adverſarii, hanc Indictionum rationem, etſi poſt XI. præcipue ſæculum apud Romanos invaluerit, ſuperioribus tamen ſæculis vel ſere incognitam, vel ſaltem infrequentiſſimam fuiſſe, quum Græca jam ubique obtineret. Sed ut nullus dubitandi locus remaneat, quin A. 867 a Septembri menſe Indictio I. Romæ jam inſtituta fuiſſet, inſignis locus adducendus eſt ex Vita Hadriani II., qui Nicolao ſucceſſit, a Guillelmo S.R.E. Bibliothecario conſcripta. Tradit enim Hadrianum, ſtatim ac Nicolaus ad Superos abiit, communi ſuffragio Apoſtolicæ Cathedræ ſuffectum fuiſſe, & continuo *peractis rite orationibus*, die *Dominico ſecundum morem*, XIX. *Kalen. Januarium*

(a) Exſtat in *T.* VIII. *Concil. Edit. Pariſienſ.*

(b) Anaſtaſii Bibl. *Liber Pontificalis Edit. Vatic. ſect.* 612.

rum Indictione I., *anno* [Hludovici] *Augusti* XIX. *benedictionem summi Pontificatus* suscepisse (*a*). Quæ omnia in Annum 867 optime conveniunt. Hludovici enim annus XIX. ab A. 849 deducitur, Epocha sat frequenti & apud Romanos præcipue usurpata, ut superiore Capite *num.* IX. observavimus. Hoc item Anno 867, qui Littera Dominicali E donatur, dies XIX. Kal. Jan. in Dominicam incidit. Ex quo fit, ut Hadriani consecratio ab hoc anno removeri nullo modo possit. In sequenti enim 868 dies XIX. Kal. Jan. in Feriam tertiam incidit. Quid certius in universa Chronologia, quam ubi designatio temporis cum Feriæ & diei Characterismis consentit? Ideoque si Hadriani II. consecratio die 14 Decembris A.867 certissime accidit, Indictio I. quæ a Guillelmo memoratur Græco more a Kalendis Septembribus illius anni erit desumenda: si enim Romanam Indictionem designare maluisset, non primam, sed decimamquintam adnotasset, ut Romana ratio tulisset. Cessent igitur Adversarii nostri Blondellum irridere (*b*), quod Hadriani consecrationem A. 867 assignasset; audiant clarissimos Danielem Papebrochium (*c*): Joannem Mabillonium (*d*), Antonium Pagium (*e*), qui etsi ignotum plane his sæculis Romæ non fuisse autument morem Indictiones a Kalendis Januariis deducendi, attamen raro admodum earum exempla ante XI. sæculum deprehendi observant.

Hoc ipso sæculo IX. in cujus historia versamur, non pauca habemus exempla, ex quibus intelligimus Indictiones Græco more in Urbe tunc numeratas fuisse. Hujusmodi enim Indictionem præsefert papyracea Bulla Leonis IV.

(*a*) Liber Pontificalis *in Hadriano* II. *sect.* 615.

(*b*) *Hist. de la Papesse Par.* IV. *cap.* V. *pag.* 212.

(*c*) Papebrochius *in Conatu hist. Chronol. in Leone IX. pag.* 190.

(*d*) Mabillonius *de Re Diplom. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 3.

(*e*) Pagius *in Critica Baroniana passim.*

nis IV., quæ in Vaticana Bibliotheca servatur, scripta per Stephanum Scriniarium *in mense Septembris die quinta Indictione* XIV. (a). Ceteri autem chronici characteres in A. 850 incidunt, quo Indictio XIII. Romano more usque ad Anni finem perdurasset; Græco autem more, Kalendis Septembribus Decimaquarta jam decurrere cœperat, quemadmodum in Bulla notatur. Hoc eodem anno idem Pontifex Leo IV. septuagintaquinque Episcoporum Synodum Romæ coegit die 16 Decembris Hludovico Imperatore præsente (b) contra Anastasium Presbyterum Car-

(a) Apud Donium *Inscript. Antiq. p. 468.*

(b) Hludovicum Imper. adfuisse huic Concilio *in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis* coacto, deduco ex quodam *Synodali Precepto* in caussa Petri Aretinæ & Cautii Senensis Ecclesiæ Episcopi prolato, quod editum primo fuit a cl. Muratorio *pag. 389. Tom. VI. Antiquit. Ital. med. ævi*, & iterum a cl. Jo. Dominico Mansio *pag. 939. T. I. Supplem. ad Concilia Veneto-Labbeana*, cui subscribunt Episcopi XVII., quos inter *Johannes Archiepiscopus Ravenna*, *Angelbertus Archiepiscopus Mediolanensis. Amorosius Episcopus Lucensis, Osckisi Pistoriensis*, *Donatus Fesulanus*, *Gerardus Florentinus*, *Joh. Pisanus*, *Andreas Vulaterranus*, *Taceprandus Clusinus*, *Otto Rosellensis*, *& Joh. Tuscanensis.* Quum vero hæc Charta nullo certo chronologico charactere notetur, veri nimium simile visum est cl. Muratorio, referendam esse Concilio, quod die 8 Dec. A. 853. in Basilica Vaticana coactum fuit. At in illo nec Hludovicus Imp. adfuit [quemadmodum supra observavimus *num.* VII. hujus Capitis], qui tamen Synodali Judicio prædicto interfuit; nec illi quos laudavimus Episcopi, qui Chartæ subscribunt & præsentes fuerunt [*pag.* 391. apud Murat. *loc. cit.*] haudquaquam Concilio A. 853. adfuerunt, quum eorum nomina in ipsius subscriptionibus editis ab Holstenio *Collect. Rom. Par.* 2. *pag.* 124., & *T.* IX. *Concil. Ed. Venet. pag.* 1137., nullibi legantur. Immo ipsemet Joannes Archiepiscopus Ravennas Chartæ subscripsit & adfuit [*pag.* 391. *ibidem*], qui tamen Concilio Anni 853. absens per Legatum suum subscripserat; ibi enim legitur: *Paulus Diaconus vicem agens Joannis Archiepiscopi Ravennæ*. Sed quod omnino rem in aperto ponit est Charta ab eodem Muratorio evulgata *pag.* 167. *T.* III. *Antiq. Ital. med. ævi*, in qua, ut probe observat Mansius, jam a mense April. Anni 853 Lucensis Episcopus Hieremias dicitur, quem tamen successisse certum est Ambrosio, qui laudato Synodali Precepto subscripserat. Ideoque saltem ante Aprilem A. 853 illud collocandum videtur. Ego vero, ut mea fert sententia, datum fuisse arbitror in Concilio, quod die 16 Decembris Indictione XIV. Anno 850 in caussa Anastasii Romæ coactum fuit, cujus historiam Leo IV. in Basilica Vaticana depingi fecerat, cum inscriptione, in qua præ ceteris hoc notatum fuit: *Post Romanum Pontificem in hac excommunicatione consenserunt Archiepiscopus Ravennatis & Mediolanensis*, *aliique numero* LXXV. [apud Holsten. *in Collect. Rom. Par.* II. *pag.* 139. & *Concil. loc. cit. p.* 1145.]; De quo eodem Concilio non obscure fit mentio in Actis jam laudatæ alterius Synodi A. 853 (apud Holsten. *loc. cit. pag.* 102. & 109. *Concil. loc. cit. p.* 1135). Quum igitur iidem Joannes Ravennas & An-

Cardinalem, qui Romanam vehementer vexabat Ecclesiam. Indictio autem XIV. notatur in Concilii Actis (a); quæ a Kalendis Septembris est necessario deducenda. A. 853 Leo IV. iterum aliam Synodum eadem de causa Ravennæ celebravit *mense Majo die 29 Indictione* I., ubi ipsum Anastasium diro anathemate percussit his verbis, quod *contra statuta Patrum propriam Ecclesiam deserens, ecce jam per quinquennii tempus per alienas Parochias velut ovis errans discurrit (b)*; quam sententiam *in Ecclesia B. Petri Apostoli mense Junio die 29 Indictione superius annotata similiter promulgavit*. Quo facto quum audisset pientissimus Pontifex Anastasium Clusii adhuc immorari, eum continuo per litteras paterne est alloquutus, & ad novum Concilium, quod Romæ congregaturus erat XV. *die mensis Novembris expectata futura secundæ Indictionis (c)* invitat. Ex quo discimus, mense Junio vel Julio, quibus jam prima numerabatur Indictio, *expectatam* Romæ fuisse *futuram secundam Indictionem* in proximo mense Novembri numerandam: Argumento, Indictiones non a Kal. Januariis ad alteras Kalendas fuisse deductas, sed ab uno in alterum Septembrem.

Coacta igitur fuit hoc anno Synodus prædicta, & absoluta *die 8 Decembris Indictione* II. prædicta [a Kal. Septembris deducta], in qua depositus fuit Anastasius *eo quod contra auctoritatem Canonicam propriam Parochiam deseruisset per annos scil. quinque, & in aliena ad usque hodie demoratur (d)*. Hanc

& Angelbertus Mediolanensis Archiepiscopi, tum prædicto Synodali Præcepto, tum Concilio diei 16 Decembris A. 850 interfuerint & subscripserint, vero nimium simile mihi videtur præfatum Præceptum in hoc Concilio prolatum & sancitum fuisse; adeoque affirmare non dubitavimus, Hludovicum Imp. Concilio Romano A. 850 interfuisse, proindeque Synodale Præceptum, a Muratorio evulgatum, in eodem Concilio celebratum fuisse.

(a) Apud Holsten. *in Collect. Rom. Par.* II. *pag.* 138, & *Concil. T.* IX. *p.* 1145 *Edit. Ven.*

(b) Apud Holsten. loc. cit. *p.* 139. 102. & *Concil loc. cit.* & *pag.* 1135.

(c) Holsten. *l. c. p.* 106. 109. *Concil. l. c. p.* 1136. A. D.

(d) Holsten. *l. c. pag.* 101. 142. *Concil. l. c. pag.* 1135. 1140.

Hanc eandem Indictionum rationem evincit papyraceum Privilegium, quod Monasterio Corbejensi a Benedicto III. concessum fuit, de quo plura Capite superiore, *n.*VIII.& IX.Ibi enim notantur in Data chronici characteres A.855 die 5 Nonas Octobris Indictione IV. quæ, Romano more, tertia tantum numerari debuisset.

Litteras etiam Hadriani II. referunt Bertiniani Annales (*a*) datas *Anno Pontificatus Domni Adriani Summi Pontificis & universalis Papæ primo, per quartum Idus Octobris Indictione* I. *hoc est A.*868. Romana vero ratione Indictio prima dici debuisset.

Ex quibus simul collatis conficitur A. 850, 853, 855, & 868 Indictiones a Kalendis Septembris (*b*) a Romanis Pontificibus institutas Græco more fuisse, ideoque talem etiam censendam esse Indictionem I., qua currente Nicolaum I. Fatis concessisse tradiderat ejus Biographus.

Proindeque his omnibus argumentis (ni fallor) tota Spanhemiana Hypothesis subvertitur; Pontificia Chronotaxis sæculi IX. restituitur; quæ de morte Leonis IV. & Benedicti III. consecratione superioribus capitibus disseruimus confirmantur, & omne penitus tollitur illud temporis intervallum, quo Apostolicæ Sedis inimici Papissam suam commode se collocasse arbitrabantur.

CAPUT

(*a*) Annales Bertiniani *ad A.* 868 apud Du-Chesn. *T.* III. *Scriptor. Rer. Franc. pag.* 230.

(*b*) Dicimus Indictiones a Kalendis Septembribus (non ab VIII.Kalend. Octobr.) eo tempore deduci Romæ consuevisse. Id enim testatur laudata Leonis IIII. papyracea Bulla die 5 Septembris A. 850 Indictione XIIII. consignata. Idipsum etiam alibi in Italia obtinuisse probant duæ Lucenses Chartæ apud clar. Muratorium *Annali d' Italia Tom. V. ann.* 849, quæ hanc eandem referunt Datam *Regnante D. N. Hlothario Imper. Aug. Anno Imperii ejus postquam in Italia ingressus est trigesimo tertio, & filio ejus D. N. Hludovico idemque Imper. Anno sexto,* quæ omnia in A. 855 concurrunt. Sed altera ex iis Chartis, quæ Data est III. *Kal. Julii*, Indictionem III. præfefert; altera vero quæ die 22 sequentis mensis Septembris, mutatam exhibet Indictionem, nempe *Indict.* IIII. X. *Kalend. Octubris*. Alia etiam Charta ibidem citatur a Muratorio Data *Anno* XXIX. *Hlotharii, & II. Hludovici Quarto Idus Septembris Indictione* XV. nempe Anno 851, quo jam desierat XIV Indictio, quæ hoc Anno usque ad Kal. Septembris fuit numerata.

CAPUT IV.

I. *Qua potestate pollerent electi Romani Pontifices ante consecrationem*. II. *Quibus honoribus Imperatores ab eis prosequerentur*. III. *Cur eorum nomen in suis Nummis inscriberent Romani Pontifices*. IV. *De Eutropianæ Appendicis auctoritate*. V. *PAPÆ, PONTIFICIS vel EPISCOPI nomen Electis nequaquam datum, sed Consecratis* VI. *Nummus noster post consecrationem Benedicti* II. *cusus fuit*. VII. *De Cruce in Nummis apponi solita Vignolii sententia expenditur*. VIII. *Observationes aliæ circa eundem Nummum afferuntur*. IX. *De orthographia nominis HLOTHARII*. X. *& de PII titulo eidem tributo*.

I. CETERA nunc prosequamur, quæ occasione Nummi nostri observari possunt & illustratione digna videntur. Ac primo quidem inquirendum ducimus, utrum ante, vel post consecrationem Benedicti II. fuerit percussus; Quo loco quum magna excitari possit quæstio ecquam auctoritatem in Romana Ecclesia electi Pontifices iis temporibus obtinerent, paucis eam non gravabor attingere. Quamvis enim ex libro Diurno in usum sæculi VII. adornato constet, summam tunc administrationem fuisse penes *Locumtenentes Apostolicæ Sedis*, prout etiam Joannis IV. Electi testimonio (*a*) comprobatur, attamen quum & Benedictus II. ante suam consecrationem nonnulla Ecclesiæ negotia Petro Notario Regionario Anno 684 (*b*) committere non dubitaverit, fateri cogimur cum Pagio (*c*) nonnihil potestatis penes Electos Pontifices ante con-

(*a*) Apud Bedam *Hist. Angl. cap.* 19. *lib.*2. & *Concil. T.*V.*p.*1757. *Ed.Paris.*

(*b*) Concil. *T.* VI.*pag.*1278.

(*c*) *Breviar.Rom.Pont. Bened.*II. *n.*5.

consecrationem jam tunc fuisse. Proindeque quum circa A. 687 Joannes Exarchus cognomento Platys ad Paschalem Anti-Papam extollendum, in Urbem violenter irruisset, *& centum auri libras a parte Ecclesiæ expeteret*, Sergius electus, siquidem *possibilitas dandi ei non suppetebat, ut ad compunctionem animos videntium commoveret, Cantharos & Coronas quæ ante sacrum Altare & Confessionem B. Petri Apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit, & pignori tradi. Sed nec in hoc flexa est ejusdem Exarchi duritia, donec centum librarum auri accepit* (a). Multo autem majorem potestatem Electis Pontificibus tum auctam fuisse suspicor, quum Francorum Regum munificentia & virtute, deleta Langobardorum tyrannide, Patrimonia Romanæ Ecclesiæ restituta ampliataque fuerunt; siquidem nihil prorsus obstabat, quominus ea sine Episcopali potuissent charactere administrari. Stephanus post Zachariæ Papæ mortem Anno 752 electus, & in Lateranensis Patriarchii possessionem immissus, ibi *biduo manens, tertio die postquam a suo surgeret somno, & SEDENS FAMILIARES CAUSAS SUAS DISPONERET, subito dum sedebat alienatus obmutuit, & sequenti die defunctus est* (b): ubi *familiares causas* appellari arbitror eas, quæ ad Patriarchium & Romanæ Ecclesiæ administrationem pertinebant (c).

Paulus I. electus A. 757, statim ad Pipinum litteras dedit, quibus narrata Stephani II. sui decessoris morte, suique ipsius facta electione, eundem obtestatur, ut Romanæ Ecclesiæ Patrocinium, quod jam susceperat, persequatur; qua in re hoc est observandum, Electum scili-

L cet

(a) Lib. Pontifical. *in Sergio I. sect.* 159.

(b) Lib. Pontifical. *in Stephano* II. *sect.* 227.

(c) In Decreto de electione Pontificis ad Exarchum *lib. Diurni tit.* 4. *cap.* 1. hæc formula exhibetur: *In uno convenientibus nobis, ut mos est, familiaribus Cleri & Plebis, Procerum etiam & militaris præsentia ..... concurrit, atque consensit electio.*

cet nomine proprio pro Romana Ecclesia exorare, nullis interpositis *Locumtenentibus*, penes quos antea fuerat omnis Apostolicæ Sedis procuratio (a). Sed ipsa quoque electi Pontificis *salutatio*, *Lateranensis Patriarchii* possessio, in qua Electus constituebatur, & traditum ipsi *Pontificale Solium* (b), non obscure ostendunt, omnem Patriarchii, proindeque & Romanæ Ecclesiæ curam electi Pontificis dispositioni fuisse commissam. In Concilio Lateranensi Stephani PP. III. Anno 769 celebrato statuitur, *ut priusquam Pontifex electus fuerit, & in Patriarchium deductus, omnes optimates militiæ, vel cunctus exercitus & cives honesti, atque universa generalitas Populi hujus Romanæ Urbis AD SALUTANDUM EUM SICUT OMNIUM DOMINUM properare debet. Et ita more solito Decretum facientes, & in eo cuncti pariter concordantes subscribere debent* (c). Ex quo intelligitur, qua ratione Legati Populi Romani, qui *Decretum* electionis Benedicti III. Hludovico Imp. tradiderunt, quum ad impii Anastasii partes sese contulissent, Benedicti *fidelitatem declinasse* dicuntur. *Beatique FIDELITATEM jam fati declinaverunt Electi* (d); *FIDELITATIS SACRAMENTUM quod fecerant almifico Benedicto parvipendentes, oblivisccentesque &c.* (e). Ut quid igitur electus Pontifex in *Patriarchii*, & *Pontificalis Solii* possessionem immitteretur, *Vestimentis Pontificalibus* (f) indue-

(a) Exst. In Codice Carolino *num.* 13. apud Du-Chesn. *Hist. Franc. Script. T.* III.

(b) Liber Pontificalis *in vita Benedicti* III. *sect.* 558. *Eum* (Benedictum) *in Patriarchium Lateranense perducentes, Pontificali Solio, ut mos est Pontificum, eanaque consuetudo demonstrat, posuerunt*. Et sect. 562: *Praecepit* (Anastasius), *ut beatissimum Benedictum Pontificali quo residebat ejiceret Solio: qui etiam vestimenta Pontificalia quibus indutus erat, ut barbarus, tulit atque expoliavit*.

(c) Apud Holstenium in Collect. Romana *Par. I. pag.* 260. & apud Cennium *de Concilio Lateranen. Steph.* III.

(d) Lib. Pontifical. *in Bened.* III. *sect.* 558. *lin.* 15.

(e) Ibidem *sect.* 559. *lin.* 16.

(f) Ibidem *sect.* 562. *lin.* 7. *Praecepit* (Anastasius), *ut beatissimum Benedictum Pontificali, quo residebat, ejiceret Solio: qui etiam vestimenta Pontificalia, quibus indutus erat, ut barbarus, tulit atque expoliavit*.

induceretur, ſicut *omnium Dominus ſalutaretur*, qui nullam penitus Romanæ Eccleſiæ curam & adminiſtrationem fuiſſet habiturus?

Utrum autem hac ipſa poteſtate qua electi Pontifices octavo, & nono ſæculo fruebantur, monetam quoque cudere conſueverint, definire non audeo. Profecto tamen, quum, electo Leone IV., *periculum Romanæ Urbis maxime timeretur, ne iterum, ut olim, aliis ab hoſtibus fuiſſet obſeſſa* (a), Romani opportunum vel neceſſarium duxere, ut eum etiam *ſine permiſſu* Hlotharii *Principis* [quod piaculi loco habebatur], *Præſulem conſecrarent*; quæ conſecrationis præpropera feſtinatio nimiaque celeritas duplici de cauſſa accidere potuit, vel ut ſummam Principatus poteſtatem, qua electus Pontifex nondum fortaſſe plene perfecteque potiebatur, Leo ad tutandam facilius Urbem exercere poſſet; vel ut omnis ſeditioſis hominibus præriperetur facultas, dum ille nondum conſecratus fuiſſet, alium ſibi Pontificem conſtituendi: quod, Urbe in tanto periculo poſita, quam maximi damni ac detrimenti eſſe potuiſſet.

II. Illud vero minime eſt diffitendum, quod quum Pontifices Romanæ Eccleſiæ tutelam ſeu Patrocinium vel *Advocatiam*, modo ſub *Patriciatus*, modo ſub inſigniore *Imperii* titulo in Francos Reges ſibi obſequentiſſimos contuliſſent, tantis eos honoribus auxerunt, ut vel ipſaſmet proprias electiones, more priſcorum Orientalium Imperatorum, ab iis confirmari voluerint; ex quo fieri fortaſſe poterat, ut electi Pontifices a præcipuis quibuſdam ſummi Principatus functionibus, honoris ac reverentiæ cauſſa, ſeſe abſtinerent, quouſque Imperatoris aſſenſus eorum electioni acceſſiſſet, ne forte alicujus querelæ aut moleſtiæ occaſionem iis præberent, quorum curæ præci-

L 2 pue

(a) Lib. Pontifical. in Leone IV. *ſect.* 497.

pue committebatur Romanæ Ecclesiæ Patrocinium, quo eam, & domi a Populi Romani motibus, & foris ab hostium incursibus tuendam susciperent. Quod ut facilius ab ipsis Imperatoribus præstaretur, visum est Romanis Pontificibus, quædam summi Principatus jura, quibus jam plenissime donati fuerant, suis ipsis donatoribus quodammodo communicare, ut hisce officiis & observantia Defensores suos honorificentius colerent, ac ad suscipiendam sui tutelam facilius allicerent. Fœderis ac societatis speciem quandam dixerim, quæ Imperatores inter, & Pontifices Populumque Romanum sancita fuit; unde ortæ querelæ: *quia Franci nihil nobis boni faciunt, neque adjutorium præbent, sed magis quæ nostra sunt violenter tollunt. Quare non advocamus Græcos & cum eis fœdus pacis componentes, Francorum Regem & Gentem de nostro Regno & Dominatione expellimus?* (a). Carolus Magnus ad Leonem III. scribens rogat, *ut sicut cum beatissimo prædecessore vestro sanctæ paternitatis Pactum inii, sic cum beatitudine vestra ejusdem fidei & charitatis inviolabile Fœdus statuere desidero &c.* (b). Quibus quidem PACTIS utræque Partes suis devinciebantur obligationibus; Imperator, ut Ecclesiam & Rempublicam Romanam tueretur, ut Electionibus Pontificiis, ne tumultuose fierent, provideret, ut vel per se, vel per suos Legatos seu *Missos* Jus Populis daret, ubi necessitas postularet, annuentibus tamen Pontificibus; Pontifices autem & Populus Romanus *Fidelitatem* seu religionem icti fœderis se inviolate servaturos promittebant (c), Gladio & Vexillo aliisque hujusmodi *Pa-*

(a) Liber Pontificalis in Leone IV. *sect.* 554.

(b) Alcuinus *in epistola* 84. & apud DuChesn. *Hist. Franc. Script. T.* II. *p.* 686.

(c) De hac Fidelitate plura cap. sequenti numero XVI. & XVII. Hadrianus Epistola 51. Codicis Carolini Carolo Magno significat, se Foro-Cornelium & Bononiam misisse Gregorium Sacellarium, *qui Judices earundem Civitatum ad nos deferre deberet, & Sacramenta in fide B. Petri & nostra atque Excellentiæ vestra a cunctis earum Populo susciperet.*

Patriciatus honoribus Imperatores ſuos donabant, eademque pompa iis in Urbem adventantibus occurrebant, qua Exarchos olim excipere conſueverant, cum Crucibus, Signis militaribus & Laudum acclamationibus, *ſicut mos eſt ad Exarchum aut Patricium ſuſcipiendum* (a); ceteraque hujuſmodi honoris inſignia contulerunt, quæ ab ipſis Pontificibus & Romano Populo non ſolum permiſſa, ſed ſponte & ultro oblata fuerunt. Hinc in ſupplemento hiſtoriæ Paulli Diaconi ad A. 823 legitur: *Lotharius Imperator primo ad Italiam venit, & diem ſanctum Paſchæ Romæ fecit. Paſchalis quoque Apoſtolicus poteſtatem quam priſci Imperatores habuere, ei ſuper Populum Romanum conceſſit* (b), videlicet quoad Pontificum creationem, ne tumultus in Urbe orirentur, quemadmodum Otto Magnus Conſtitutione ſua declaravit (c). Accidit quoque ſub Sergio II., quod plures ex Francis qui ad coronationem Hludovici Regis Romam advenerant, Fidelitatem ipſi Regi a Romanis præſtari vellent: *quod prudentiſſimus Pontifex fieri nequaquam conceſſit; ſed ſic orſus eſt illis: Quia ſi vultis Domino Lothario magno Imperatori hoc Sacramentum ut faciant, ſolummodo conſentio atque permitto. Nam Hludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego nec omnis Romanorum Nobilitas conſentit* (d).

III. Ex quibus ſatis aperte conſtat, quamcumque Poteſtatem ſeu Juriſdictionem, quam Franci Imperatores ſuper Populum Romanum exercuiſſe viſi ſunt, ab ipſis Pontificibus, honoris & obſervantiæ gratia, eis fuiſſe ſponte & ultro conceſſam. Ita porro Hludovicus Germaniæ Rex & Carolus Calvus Hludovici Pii filii in Conventu A.868

(a) Lib. Pontifical. *in Hadriano I. ſect.*314. & 315.

(b) Exſtat *inter Script. Rer. Francic. Du-Cheſnii T.*II.

(c) Apud Baronium *ad A.* 962. *num.*7. & 8.

(d) Liber Pontificalis *in Sergio* II. *ſect.*487.

A. 868 se *Mundeburdem & defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ* conservaturos promittunt, *in hoc, ut Romani Pontifices nobis DEBITUM HONOREM conservent, sicut eorum Antecessores nostris Antecessoribus conservarunt* (a). Ex qua sola honorificentiæ & reverentiæ caussa mos ille processit, quo Pontifices Summi Imperatorum nomen, ut plurimum, in suis Nummis signari voluerint. Eodem quoque honore Carolum Magnum donare censuit Leo III., dum in Lateranensi Triclinio ejus imaginem repræsentari curavit, cum inscriptione DN. CARVLO REGI. BEATE PETRE DONA VITĀ LEONI PP. ET BICTORIĀ CARVLO REGI DONA (*b*). Leo etiam IV. quum aureas quasdam tabulas miro artificio elaboratas super altare B. Petri dedicasset, præ ceteris Sanctorum imaginibus & suam & Hlotharii Imperatoris apposuit, quas ita describit ejus Vitæ Auctor: *Petri quoque Paulique pariter vultus atque Andreæ in prænominatis tabulis similiter splendent atque coruscant, inter quos sanctissimi quarti Leonis Præsulis, necnon & specialis filii sui Domni Imperatoris Lotharii, propter futuram memoriam sive mercedem personæ Deo caræ per cuncta sæcula venerandæ, depictæ sunt* (*c*). Vehementer igitur falli constat Leblancum, qui ex pluribus Nummis Romanorum Pontificum, in quibus Imperatoris nomen additum legitur, ejus potestatem & summum in Urbe Imperium arguisse sibi persuaserat (*d*). Immo non a Pontificibus, sed ab Imperatoribus ipsis Romæ cusos fuisse, quidam falso existimaverant. Quasi Pontifices Romani post tam amplas Donationes, quibus Impe-

(*a*) Apud Baluzium *Capitular. Reg. Francor. T. II. pag. 208.*

(*b*) Alemannus *de Parietin. Lateranen. pag. 70.*

(*c*) Liber Pontificalis in Leone IV. *sect. 513.*

(*d*) *Dissertation historique sur quelques monnoyes de Charle Magne, de Louis le Debonnaire, de Lothaire, & de leurs successeurs, frappées dans Rome: par les quelles on refute l'opinion de ceux qui pretendent, que ces Princes n'ont jamais eu aucune autorité dans cette Ville, que du consentement des Papes. Paris Chez Jean Baptiste Coignard 1689.*

Imperatorum beneficio locupletati ſunt, hoc tantum jure cudendæ monetæ caruerint, quod vel ipſis *miniſterialibus Comitibus* & Vaſſallis denegari minime ſolebat. Joannes VIII., dum in Canone xv. Concilii Ravennatis A. 877. R.E. Patrimonia, & reditus ſacri palatii Lateranenſis recenſet, præ ceteris MONETAM ROMANAM nominat, his verbis: *Nullus quilibet homo petat Patrimonia ſanctæ noſtræ Eccleſiæ, Appiæ videlicet &c. ..... porticum S. Petri, MONETAM ROMANAM, ordinaria & actionarica publica, ripam, portus, & Oſtiam. Sed hæc omnia in uſum ſalarii ſacri palatii Lateranenſis perpetualiter maneant, ita ut ſolitos reditus & angarias perpetualiter abſque ulla contradictione perſolvant* (a). En igitur quod Romanæ Monetæ reditus ad Pontificem ſpectarent, proindeque plenum jus in ipſam obtineret.

Ceterum nullo modo Imperatorum nomen in Pontificiis Nummis inſcriptum, eorum poteſtatem ac dominium in Urbe evincere poſſunt, prout contra Leblancum ejuſque aſſeclas pluribus demonſtravit ſtrenuus Apoſtolicæ Sedis vindex Juſtus Fontaninius (b), & cum eo Vignolius, & Floravantes (c). Pontificum enim nomen in hiſce Nummis ſemper legitur, ſed non item illud Imperatoris ſemper conſtanterque inſcribitur. Exſtant enim, prout ab eiſdem obſervatum fuit, Nummi Summorum Pontificum Zachariæ (d), Hadriani (e), Stephani (f), Nicolai (g), Joannis (h), Benedicti (i), Sergii (k), Joannis (l), in quibus nullum Imperatoris, ſed ſolius Pontificis nomen diſerte

(a) Concil. *T. XI. pag.* 304. *Ed. Ven.*

(b) *Difeſa di Comacchio T. I. pag.* 379. & *T. II. pag.* 54. *& ſeqq.*

(c) *Antiquiores Pontificum Romanorum Denarii illuſtrati a Jo. Vignolio, & aucti a Benedicto Floravante. Rom.* 1734. *pag.* 15. *&* 31.

(d) Jo. Mabillon. *Iter Italicum p.* 18.

(e) Nummus Hadriani I. apud Vignol. *loc. cit. p.* 1. & alius in Tabula noſtra *num.* 1.

(f) Alius Stephani IV. *ibidem. p.* 23.

(g) Alius Nicolai I. *ibidem p.* 40.

(h) Alius Joannis VIII. *ibidem p.* 44.

(i) Alius Benedicti IV. *ibidem p.* 59.

(k) Alius Sergii III. *ibidem pag.* 62. Alios Sergii PP. Nummos vide in Tabula noſtra *num.* 4. *&* 5.

(l) Alius Joannis XI. *ibidem p.* 67.

ſerte legitur. Quod argumento eſt, non neceſſario & ob id ipſum quod aliquam Imperatores retinuiſſent poteſtatem, fuiſſe in Nummis nomen eorum inſcriptum, ſed cauſſa tantum cujuſdam honoris, quo Romani Pontifices eoſdem, veluti *Patronos Defenſoreſque* ſuos, afficere voluerunt.

Longe quidem aliter accidit apud Beneventanos Duces. Quum enim Grimoaldus a Carolo Magno devictus fuiſſet, pacem his conditionibus impetravit, ut nempe & barbam Langobardis tonderet, *Chartaſque vero, nummoſque ſui* [Caroli] *nominis characteribus ſuperſcribi ſemper juberet*. Sed Grimoaldo *in ſuis Aureis ejus* [Caroli] *nomen aliquandiu figurari placuit; ſchedas ſimiliter aliquanto juſſit tempore exarari. Reliqua autem pro nihilo duxit obſervanda; mox rebellionis jurgium initiavit*(a): ac re quidem vera ejuſdem Grimoaldi Nummi adhuc ſuperſunt, in quorum antica parte legitur GRIMUALD, in poſtica DOM*inu*S CAR*olus Rex* &c. (b). Sed poſtquam tradente Erchemperto *rebellionis jurgium initiavit*, Aureos nummos percuſſit ſolo ſuo nomine inſignitos, hac inſcriptione: GRIMUALD. & ex altera parte VICTOR. PRINCI. CONOB. &c. (c)

Ex quo igitur Grimoaldus rupto fœderis pacto Caroli nomen in Aureis ſuis inſcribere neglexit, tanquam perduellis habitus eſt; quo crimine nunquam Summos Pontifices ab Imperatoribus accuſatos fuiſſe legimus, etſi nonnunquam eorum nomen in ſuis Nummis prætermiſerint.

Sed utcumque res ſe habuerit, illud ſaltem pro certo tenendum eſt, quamlibet juriſdictionem ſeu poteſtatem Imperatores in Urbe obtinuiſſe videantur, eam ex con-

(a) Erchempertus *Hiſtor. Longobard. num.*4. Exſt. inter *Script. Rer. I.al. T.*1I. *Par.I.pag.*238.

(b) Apud Muratorium *Antiq.Ital.med. ævi T.*1I.*pag.*619.

(c) Ibidem.

consensu Pontificis, pacto inito, & ab ipsis Pontificibus & Romano Populo collatam fuisse: ideoque etsi, vi hujusmodi Pacti vel Fœderis, Imperatorum nomen in Nummis insculptum fuisset [quod tamen nullo modo constat, quum in antiquis Scriptoribus & Monumentis de hoc ne verbum quidem ullibi legatur], attamen id nihil penitus summæ Pontificum potestati officeret; siquidem non alio jure Imperatores usi fuissent, quam quod ab ipsis Pontificibus recepissent.

Præclarum quidem Otto Magnus munificentiæ in Romanam Ecclesiam argumentum præbuit in Diplomate, quo donationes ab æternæ memoriæ Principibus Pippino, Carolo Magno, Hludovico Pio, & successoribus jam antea factas, A. 962 idibus Februarii eidem confirmavit. In quo profecto plenam summamque potestatem Pontificibus ipsis tribuit, his verbis: *Ut in VESTRO permaneant JURE, PRINCIPATU, atque DITIONE; & NEQUE A NOBIS, NEQUE A SUCCESSORIBUS NOSTRIS per quodlibet argumentum sive machinationem in quacumque parte VESTRA POTESTAS MINUATUR, aut a VOBIS inde ALIQUID SUBTRAHATUR* (a). Ubi certe nullum summæ potestatis jus penes Imperatorem reservatum fuisse apparet. Adeoque Joannes XII. & successores ejus nullo penitus jure cogi poterant, ut Ottonis nomen in Nummis suis inscriberent, quum summum Principatum in rebus, urbibus, & provinciis S. R. E. pleno jure obtinerent: attamen nonnullos habemus Nummos, in quibus legitur DOM. JOANES. PAPA. & OTTO IMPERATO. (b). LEONI PAP. OTTO (c). DOM. JOHA. PAPA. OTTO (d). BENED PAPA. OTTO &c. (e) JOHS PAPA. OTTO (f). Ex quibus inferri licet, Imperatoris

M nomen

(a) Apud Baronium *ad A. 962. num.* 8.
(b) Vignol. *loc. cit. pag.* 73.
(c) Ibid. *pag.* 77. (d) Ibid. *pag.* 80. *num.* 14.
(e) Ibidem *pag.* 83. 85.
(f) In Tab. nostra ad calcem Operis

nomen sola honoris & reverentiæ caussa insculptum fuisse. Sed eos inter Nummos quos hic laudavimus adnotandus præsertim est ille Leonis VIII. Pseudo-Pontificis, qui Ottonis I. Imperatoris partibus adhærens, ejus consensu & voluntate Pontifex consecratus fuit, & ab eodem Imp. in Apostolicæ Cathedræ possessione contra Romanorum & Joannis XII. conatus, armis defensus fuit (*a*). Hic autem non solum cum Ottonis nomine laudatum Nummum percussit, sed & alium in cujus una parte DN̄. LEONI, PAPE, in altera SCS̄. PETRUS legitur, nullo alio Imperatoris nomine addito (*b*). Quod utique minime prætermisisset, si *jure Imperii vel Regni* apponendum fuisset, ne præcipuum sui patronum & defensorem contra Romanorum ac Joannis XII. adhuc superstitis insidias, sibi infensum & inimicum fecisset.

Quod autem Otto magnus in Donatione, quam fecit Romanæ Ecclesiæ, nullum penitus jus vel potestatem sibi reservaverit, ipse luculentius ostendit, ubi addit se hæc omnia donasse, *SALVA* tamen *in omnibus POTESTATE NOSTRA, & filii nostri posterorumque nostrorum*, quæ his verbis exprimitur *SECUNDUM QUOD in PACTO & CONSTITUTIONE ac PROMISSIONIS firmitate Eugenii Pontificis, successorumque illius continetur, IDEST, ut omnis Clerus & universa Populi Romani Nobilitas, propter diversas necessitates Pontificum, irrationabiles erga populum SIBI SUBJECTUM asperitates retundendas, SACRAMENTO SE OBLIGENT, quatenus futura Pontificum electio ..... canonice & juste fiat &c.* ut nempe electus Pontifex non consecraretur, nisi coram Missis Imperatoris, velut Euge-

(*a*) Hujus historiam fuse narrat Auctor Catalogi Casanatensis in excerptis, quæ ad calcem hujus Operis edentur.

(*b*) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 77. Leoni autem VIII. hic Nummus tribuitur ob similitudinem formæ & litterarum, quam habet cum alio, in quo Leonis & Ottonis nomen apparet.

Eugenii II. sanctione olim constitutum fuerat *(a)*. Ex quibus satis aperte constat, nullam aliam POTESTATEM Imperatores in Urbe Roma obtinuisse, quam ut Pontificum electio sine tumulatu, canonice, juste, & coram Missis suis celebraretur; proindeque necessariò sequitur, reliqua omnia Principatus jura penes ipsos Pontifices fuisse, ideoque Ottonum nomen sola honoris & officii caussa in Pontificiis Nummis fuisse inscriptum.

Antiquus *Eutropianæ Appendicis* Auctor *(b)*, Hludovici II. morte [quæ A.875.evenit] narrata, ait Carolum Calvum Romam venisse [sub Joanne VIII., a quo Imperii coronam die 25 Decembris A.875.*(c)* suscepit], & *veniens Romam RENOVAVIT PACTVM CVM ROMANIS PERDONANS ILLIS IVRA REGNI, ET CONSVETVDINES ILLIVS. Removit etiam ab eis REGIAS LEGATIONES, assiduitatem vel præsentiam Apostolicæ electionis. Quidplura? CVNCTA illis contulit QVÆ VOLVERVNT, quemadmodum dantur illa, quæ nec recte acquiruntur nec possessura sperantur. AB ILLO AVTEM DIE HONORIFICAS CONSVETVDINES REGIÆ DIGNITATIS NEMO IMPERATORVM NEMO REGVM ACQVISIVIT, quia aut virtus defuit aut scientia, pro multis Regni contentionibus & assiduis divisionibus. Unde multa prælia, delationes, & rapinæ fuerunt in Regno:* quibus postremis verbis Auctor scribere desiit. Luculentissimo hujus vetusti Scriptoris testimonio ductus Petrus de Marca, qui Francos Imperatores usque ad hunc annum consortes in Urbis dominio cum Romanis Pontificibus fuisse existimaverat, scripsit hoc demum anno consortium omne amotum fuisse, universaque Regia jura quæ antea ab Impp.

 obti-

(a) Pagi *Brev. gestor. Rom. Pontif. in Eugenio II. num. 4.*

(b) Apud Goldastum *Monarchia T. I. pag. 8.*

(c) Annales Bertiniani *ad A. 876* apud Du-Chesn. *Hist. Franc. Scriptor. T. III. pag. 247.*

obtineri videbantur penitus cessasse (*a*). Sed has inter *honorificas Regiæ Dignitatis consuetudines & Regni Jura*, quibus [Romanorum Pontificum beneficio] fruebantur IX. sæculo Franci Imperatores, nequaquam censeri debere Inscriptionem Imperialis nominis in ipsorum Pontificum Nummis, contra Leblancum ejusque asseclas jure contendo. Si hæc enim Inscriptio ex illis Regni juribus & consuetudinibus fuisset, quæ sub Carolo Calvo prorsus cessarunt, nequaquam amplius apparere deberet in iis Nummis, qui & sub eodem Imp. & deinceps a Romanis Pontificibus percussi fuerunt: attamen Nummos habemus ipsiusmet *Joannis VIII. Karoli Imp.* nomen præseferentes (*b*), alios *Marini, Hadriani III.* & *Stephani V.* cum *Caroli* Crassi (*c*), *Formosi* cum *Widonis* (*d*), *Joannis IX.* cum *Lamberti* (*e*), *Benedicti IV.* cum *Hludovici* (*f*), *Joannis X.* cum *Berengarii* (*g*) nominibus. Ecquis vero sanus sibi persuaserit, Joannem VIII. & Successores Romanos Pontifices tam segnes fuisse in retinendis paullo ante vindicatis juribus, ut libertate ab Imperatore Carolo Calvo penitus restituta uti non voluerint, concessamque immunitatem adeo parvi fecerint, ut si antea *jure Regni Regiæque consuetudinis* Imperatorum nomina in suis Nummis inscripsissent, eandem consuetudinem, etiam post quam remissa fuerat, retinere maluerint? Absit ut talia suspicemur. Tanto enim studio Romani libertatem concessam tueri curarunt, ut *nemo Imperatorum, nemo Regum* illas *Regni consuetudines* amplius recuperare valuerit. Adeoque concludendum, inscriptionem Imperialis nominis in Romanorum Pontificum Nummis spontaneum & liberale fuisse honorificentiæ signum, quod Imperatoribus seu Defensoribus suis, ut plurimum, deferri volue-

(*a*) Petrus de Marca *in Concordia Sacerdotii & Imperii lib. 3. cap. 11.*
(*b*) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 44.
(*c*) Ibidem *pag.* 47. 48. 50.
(*d*) Ibidem *pag.* 52.
(*e*) Ibidem *pag.* 56.
(*f*) Ibid. *pag.* 59.
(*g*) Ibidem *pag.* 65.

voluerunt; & nequaquam numeratum fuisse inter Regias illas consuetudines & jura Regni, quæ a Pontificibus & Populo Romano fuerant jam antea in Francos Imperatores ultro sponteque collata.

IV. Hæc quidem argumenta scio eos non facile admissuros, qui Eutropianæ Appendicis auctoritatem plus æquo parvipendunt. Fateor & ego, eandem ab homine Apostolicæ Sedi infensissimo, & Imperii partibus quam maxime addicto, exaratam fuisse. Gretserus eandem *temporibus Schismatis inter Imperatores & Pontifices* confictam fuisse judicat (a). Fontaninius vero cum Agnelli Ravennatis scriptis optime comparat (b). Idcirco quæcumque contra Romanam Ecclesiam proferuntur, caute admodum & non sine diligenti maturoque judicio probanda sunt. Quæ autem contra ipsam, quam tanto studio tuetur, Imperialem dignitatem fateri non dubitavit, ea utique omnem merentur fidem, immò longe majorem quam Auctor ipse expresserit, præsertim ubi certa vel probabilissima saltem argumenta non suppetant, quæ in contrariam sententiam animum inducant. Et hanc quidem Imperialium jurium cessionem a Carolo Calvo factam probant Petrus de Marca, & Steph. Baluzius, nec repugnant Lud. Ant. Muratorius, Justus Fontaninius, Joseph Aug. Ursius, licet in ipsis juribus & consuetudinibus interpretandis varie inter se discrepent. Sed, ut paullo diligentius perscrutemur quam auctoritatem & fidem mereri possint, quæ in Eutropiana Appendice traduntur de Caroli Calvi cessione, observatione primùm dignum videtur, hujusmodi *Pacta* seu Fœdera confirmari vel renovari con-

(a) *Mysta Salmuriensis cap. 35.*

(b) *Difesa 2I. di Comacchio pag. 49.* „ Io per me nell' ignoranza e nella malizia ne agguaglio in tutto e per tutto „ l'Autore ad Agnello Ravennate. E poi „ basta che venga dalle mani dell' Illirico, e che abbia incontrato il genio e „ la stima d' quell' altre due buon anime „ del Morneo e del Goldasto.

consuevisse, semel ac quis Imperii Coronam adeptus fuisset. Ipse met Joannes VIII. antequam Imperii sceptrum Carolo Crasso tradidisset, hoc eum admonere voluit, *quatenus Deo auxiliante, vobis advenientibus Romam, unum de pactis & privilegia sancta Romana Ecclesia MORE PARENTUM VESTRORUM renovare & confirmare studeatis* (a). In Concilio Ravennati Joannis IX. statuit Lambertus Imp.; *ut PRIVILEGIUM S.R.E., quod A PRISCIS TEMPORIBUS per piissimos Imperatores stabilitum est atque firmatum, ita nunc a nobis firmetur, & diebus nostris, sicut condecet, immutilatum servetur* (b). Pontifex autem rogat, *ut PACTUM, quod a beata memoria vestro genitore & a vobis piissimis Imperatoribus JUXTA PRÆCEDENTEM CONSUETUDINEM factum est, nunc reintegretur, & inviolatum servetur* (c). Quid igitur facilius, quam Carolum Calvum, hominem Imperiali Corona indignissimum, quam tanto quæsivit ambitu, cuncta Romanis contulisse quæ ipsi voluerint, & Joanni præsertim Pontifici in conservandis & ampliandis Romanæ Ecclesiæ juribus præ ceteris studiosissimo? (d). Carolum idcirco jura quædam in Urbem Capuam Romanæ Ecclesiæ concessisse ex ipsomet Joanne discimus, qui in epistola ad Landulfum Urbis illius Episcopum hæc habet: *Leone Venerabili Episcopo ..... aliisque nostris Legatis quos nuper direxeramus, a dilectissimo filio nostro Carolo Imp. Aug. reversis* (e), *vobis ..... ratum ducimus animi*

(a) Joannis VIII. *Epist.* 216. *Concil. T.* XI. *Ed. Venet.*

(b) Concil. *T.* XI. *pag.* 708. *Edit. Venet.*

(c) Can. 6. *ibid. pag.* 709.

(d) Annales Fuldenses apud *Du-Chesn. Hist. Francor. Scriptor. T.* II. *pag.* 569. „ Quanta potuit velocitate [Carolus] „ Romam profectus est, omnemque Senatum Populi Romani more Jugurthino „ corrupit, sibique sociavit; ita ut etiam „ Joannes Papa votis ejus annuens, corona capiti ejus imposita eum Imperatorem & Augustum appellari præcepisset.

(e) Hi Legati Synodo Pontigonensi, quæ absoluta est 17. Kalend. Aug. A. 876. adfuerunt. *Concil. T.* XI. *pag.* 270. *Edit. Venet.* Mense Septembri Papiæ a Bosone Comite detinebantur *ex Joannis VIII. Epistol.* 6. & 7. & die 18. Kal. Decembris jam Romam redierant. *Idem epist.* 23.

animi ejus Deo inspirante circa Ecclesiarum præsertim Romanæ quæ caput est omnium, exaltationem, affectum patefacere: OMNE SANE JUS POTESTATIS ANTIQUITUS ATTRIBUTUM, CAPITULARITER RENOVANS IN CONVENTU EPISCOPORUM AC OPTIMATUM, INVIOLABILITER CONCESSIT HABENDUM: Inter quæ DE TERRÆ VESTRÆ PACTA, prout Christo duce voluissemus statuere, nostro juri potestatique commisit (*a*). In alia item epistola Guaiferio Salernitano Principi scripta gratulatur, quod eum *devotum* & *fidelem* cognoverit, *ideoque pactum quod petisti, ut promiseramus Pontificali vera assertione a dilecto filio nostro Carolo Imp. Augusto, jure vobis firmandum, potestate per revertentes Legatos Ecclesiæ nostræ accepta, juste ac legaliter adfuturum, statuere sumus parati* (*b*). Ex quibus datum est intelligere ampliorem fuisse Caroli Calvi concessionem, quam in Ticinensi Synodo mensis Februarii A. 876. jam ipse statuerat, *ut in termino beatorum Petri & Pauli Apostolorum Principum, nemo in eundo, & redeundo, vel ibi morando aliquam vastationem & deprædationem facere præsumat, & quæ ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ PROPRIA sunt, nemo aliqua iniqua machinatione, SINE VOLUNTATE IPSIUS SACRI PONTIFICIS, sibi vindicare præsumat* (*c*); In Eutropiana Appendice legitur Carolum *Patrias* hoc est Regiones etiam *Samniæ & Calabriæ simul cum omnibus Civitatibus Beneventi* donasse; quod non est utique inter fabulas amandandum; vel enim legi potest *Patrimonia*, quæ in Samnitum, Calabriæ & Beneventanorum finibus sita erant, concessa fuisse (*d*); vel Provinciarum quidem ipsarum donationem factam,

(*a*) Joannis VIII. *epist.* 9.

(*b*) Idem *epist.* 3.

(*c*) *Concil. T.* XI. *pag.* 284. *Edit. Ven.*

(*d*) Hludovicus Pius in sua Donatione hæc eadem Patrimonia concesserat: *Patrimonium Beneventanum & Salernitanum, & Patrimonium Calabriæ inferioris & superioris, & Patrimonium Neapolitanum, & ubicumque in partibus Regni atque Imperii nostri a Deo nobis commissi Patrimonia vestra esse noscuntur*. Baron. ad A. 817. & apud Georgium *in not.* ad

factam, sed effectu suo caruisse; eo modo quo & Pipinus *Venetiam* & *Histriam* Romanæ Ecclesiæ donavit, licet a Langobardis detinerentur, & Hludovicus Pius *Siciliam* similiter concessit, quam fortasse è Græcorum manibus eripere in animo habebat, ac demum Otto Magnus plura Campaniæ, Siciliæ, aliorumque locorum Patrimonia donavit, adjecta conditione *si Deus nostris tradiderit manibus* (*a*).

Nec est cur Pagius Caroli Calvi potestatem in Urbe Roma contra Scriptoris Eutropianæ appendicis auctoritatem, nobis opponat (*b*): pluribus enim satisfecit doctissimus Justus Fontaninius (*c*), & post eum Jo. Dominicus Georgius (*d*): Nec etiam probat quod falsò dicatur, Carolum *assiduitatem vel præsentiam Apostolicæ electionis* (*e*) dimisisse, eo quod hujus cessionis vestigium nullibi appareat. Nam ex Concilio Romano Joannis IX. liquet, quod Ecclesia Romana *plurimas tunc* patiebatur *violentias*, *Pontifice obeunte: quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia & suorum Legatorum præsentia, Pontificis fit consecratio, nec Canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri* (*f*). Id fortasse ex nimium liberali Caroli Calvi concessione inductum fuerat, neque deinceps pristina consuetudo ab ejus successoribus revocari fortasse potuerat, *quia aut virtus defuit, aut scientia pro multis Regni contentionibus & assiduis divisionibus*, quemadmodum hisce turbulen-

ad T. XIII. *Edit. Lucens. pag.* 627. Inter Patrimonia Romanæ Ecclesiæ numerantur in Concil. Ravennate A. 877. *Patrimonium Appiæ, Lavicanense, vel Campaninum, Tiburtinum, Theatinum, utrumque Sabinense, & Tusciæ &c.* Can. 15. *Concil. T.* XI. *p.* 304. *Ed. Ven.*

(*a*) Baron. *ad A.* 962. *num.* 5.

(*b*) Pagius *in Critica Baron. ad A.* 875. *num.* 5. *& seqq.*

(*c*) *Difesa di Comacchio T.* II. *pag.* 104. *& seqq.*

(*d*) *In not. ad T.* XV. *Annal. Baronii pag.* 278. *Ed. Lucens.*

(*e*) *Electionis* nomen late hic sumitur pro ipsa confirmatione, ut probe notat Mabillonius *Mus. Ital. T.* II. *pag.* CXIII.

(*f*) Can. 10. *Concil. T.* XI. *pag.* 703. *Ed. Ven.*

bulentissimis temporibus Widonis, Lamberti, Arnulphi Impp. & Berengarii Regis revera contigit. Audiatur Joannes IX. qui Lambertum Imp. alloquens in Concilio Ravennate, ita præfatur: *ut tantæ impietates, pro quibus nos ad vos venissemus, quas etiam per territoria nostra vidimus in tractationibus, deprædationibus, incendiis, rapinis, & violentiis, a vobis diligentissime inquirantur, & prout necesse est legaliter emendentur: quoniam tanto dolore perculsi sumus talia contemplantes, quod magis mori cupieramus, quam talia in nostris diebus cernissemus* (a).

Pagius exaratam tunc fuisse *Appendicem Eutropianam* suspicatur, quum Beneventum Romanis Pontificibus parebat, nempe post A.1019: ea scilicet de caussa, quod a Carolo Calvo ipsum Romanæ Ecclesiæ donatum dicatur. Sed animadvertat necesse est, antiquiora esse Romanæ Ecclesiæ jura in Beneventanum Ducatum: siquidem a Carolo Magno eundem donatum fuisse diserte tradit libri Pontificalis Auctor (b). Adeoque nihil impedit, quominus eadem jura & Carolus Calvus confirmarit. Quod & Otto I. præstitit in Diplomate, quod A. 962. Ecclesiæ Romanæ concessit. Melchior Goldastus & doctissimus Præsul Petrus de Marca Eutropianæ Appendicis Auctorem circa Annum Christi DCCCC. scripsisse senserunt; quumque in Caroli Calvi Imperio finem scribendi fecerit, haud multum fortasse ab illius temporibus aberat. Ego vero ex ipsius Opusculi contextu chronicas quasdam notas eruisse videor, quibus hujus scriptoris vetustas sat probabiliter definiri possit. Ait enim Carolum Calvum removisse a Romanis *Regias Legationes*, & *assiduitatem vel præsentiam Apostolicæ Electionis*, seu consecrationis, quæ omnia *ab illo*

 die,

(a) Can. 4. *Concil. T.* XI. *pag.* 709. De hac temporum calamitate plura Annal Metens. *ad A.* 888. & Concil. Ticinen. A.889. *Concil. T.* XI. *pag.* 607.

(b) Liber Pontifical. *in Hadriano I. sect.* 318.

die, *nemo* unquam *Imperatorum*, *nemo Regum* acquirere amplius valuisse affirmat. Hæc non utique tam sincere falsus fuisset homo Imperii partibus addictissimus, si post Joannis IX., vel saltem Ottonis Magni tempora vixisset; tunc nempe, quum prædicta omnia ad pristinam consuetudinem tandem revocata, longo temporis processu obtinuerunt.

Nam post Caroli Crassi obitum in turbulentissimis temporibus, in quibus Pontificatum suum incidisse conquerebatur Joannes IX., ad violentias comprimendas quibus in novis Pontificum creationibus obnoxia erat Romana Ecclesia, necessarium duxit privilegium Imperatoriæ dignitatis quoad Pontificum consecrationem iterum in pristinum morem redigere, ut *Electus præsentibus Legatis Imperialibus consecretur ....., qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri* (a). An Regiæ Legationes tunc etiam restitutæ fuerint, certo definiri non potest. Novimus tamen *Privilegium S.R.E. quod a priscis temporibus per piissimos Imperatores stabilitum atque firmatum* fuerat, tunc a Lamberto Imp. confirmatum fuisse (b). Novimus ab eodem Lamberto una cum Joannis IX. P. M. consensu in Ravennate Synodo sancitum fuisse, ut *si quis Romanus, cujuscumque sit ordinis, sive de Clero, sive de Senatu, seu de quocumque ordine, gratis ad nostram Imperialem majestatem venire voluerit, aut necessitate compulsus ad nos voluerit proclamare, nullus eis contradicere præsumat; & neque eorum res quispiam invadere, vel deprædari, aut eorum personas in eundo vel redeundo vel morando inquietare præsumat, donec liceat Imperatoriæ potestati eorum causas aut personas* [per nos] *aut per Missos nostros deliberare* (c). Etsi igitur certas & statas Misso-

(a) Can. 10. *Concil. Roman. T. xi. pag.* 708. & 709.
Concil. pag. 703. *Ed. Ven.* (c) Can. 2. ejusdem Concilii, *ibidem*
(b) Can. 3, & 6. Concil. Ravenn. *ibid. pag.* 708.

Missorum Imperialium Legationes tunc restitutas fuisse clare non appareat, attamen non mediocre honoris & jurisdictionis Privilegium Imperatori tunc auctum est. Ita porro in Synodis Romæ & Ravennæ sub Jo:IX. coactis decretum fuit; quoad annum vero celebrationis, Chronologi in varias abierunt sententias; Baronius quidem A. DCCCCIV. assignavit; sed Pagius ad DCCCLXXXXVIII. retraxit (a). Eo igitur tempore, quod ab A. 875, nempe a Caroli Calvi creatione ad Romanæ & Ravennatis Synodi celebrationem effluxit, Eutropianam appendicem confectam fuisse qui affirmaret, is profecto haud multum a vero aberraret. Quum tamen in tanta qua laboramus illius ævi Scriptorum & Monumentorum penuria, obscurum prorsus reddatur, an ea quæ in prædictis Synodis sancita leguntur, suum deinceps sortita fuerint effectum, ideo tutius fortè affirmari posset, laudatum Eutropianæ appendicis Auctorem Ottonis saltem Magni ætatem præcessisse. Hic enim in Diplomate, quod idibus Februarii A. 962. Romanæ Ecclesiæ concessit, veteres *honorificas Regiæ dignitatis consuetudines*, de non consecrando Pontifice nisi coram Imperialibus Legatis, & de Missis ab Imperatore annuatim constituendis, in pristinum usum revocavit. Ex quo tempore deinceps hæc omnia tum a Pontificibus, tum ab Imperatoribus servata sunt. Hinc est quod Henricus Imp. in amplissimo Diplomate quod A. 1014 Romanæ Ecclesiæ concessit hæc eadem observanda decrevit, iisdemque verbis quibus usum fuisse Ottonem I. comperimus: proindeque non sine Imperatoris consensu consecratos fuisse legimus Leonem VIII. Anti-Papam, Joannem XIII., Benedictum VI., Gregorium V., Silvestrum II., Clementem II., Damasum II., Leonem IX., Alexandrum II., & Gregorium VII., sub quo hujusmodi mos, Deo favente, penitus cessavit:

(a) Pagius *in Critica Baron. ad A. 898. num. 4, & 8.*

ſavit : de eoque intelligendus S. Petrus Damiani, qui Alexandro II. ſedente ſcribebat *ſuſpendendam eſſe* Pontificis conſecrationem, *uſque dum Regiæ Celſitudinis conſulatur auctoritas, niſi periculum fortaſſis immineat, quod rem quantocius accelerare compellat* (a). De Miſſis Imperialibus tum Otto I., tum Henricus II. ita ſanxerunt, *ut Miſſi Domni Apoſtolici ſeu noſtri ſemper ſint conſtituti, qui annuatim nobis vel filio noſtro renuntiare valeant, qualiter ſinguli Duces ac Judices populo juſtitiam faciant. Hanc Imperialem conſtitutionem quommodo obſervent qui Miſſi, decernimus, ut primum cunctos clamores, qui per negligentiam Ducum ſeu Judicum fuerint inventi ad notitiam Domni Apoſtolici deferant. Et ipſe unum è duobus eligat, aut ſtatim per eoſdem Miſſos fiant ipſæ neceſſitates emendatæ, aut Miſſo noſtro nobis renuntiante per noſtros Miſſos a nobis directos emendentur* (b). Quæ Imperialium Miſsorum ordinatio, *cum Pontificum conſenſu & voluntate* facta (c), diu etiam obtinuit. Si ergo *Eutropianæ appendicis* Auctor poſt Jo:IX. vel ſaltem Ottonis Magni tempora vixiſset, qua fronte affirmaſſet, jam laudatas *Regiæ dignitatis honorificas conſuetudines* tempore Caroli Calvi ceſſaſſe, quodque ex illa die *nemo Imperatorum, nemo Regum* eas amplius recuperare valuiſſet, *quia aut virtus defuit aut ſcientia, pro multis Regni contentionibus & aſſiduis diviſionibus*? Hæc de *Eutropianæ appendicis* Auctore dicta ſint.

Ut autem ad illud ex quo diſceſſit revertatur oratio, ſatis ſuperque his omnibus, meo quidem judicio, oſtenditur, nullum ex hiſce Nummis, Pontificum & Imperatorum nomine inſignitis, peti poſse argumentum pro ſumma Principatus poteſtate ſeu *ſupremo dominio* Imperatorum in Urbe adverſus Romanos Pon-

(a) S. Petrus Damiani *lib.2. epiſt.10.*
(b) Apud Baron. *ad A. 962. num.11.* *pag. 122.* & *ad A. 1014. num.9.*
(c) Fontan. *Difeſa 11. di Comacchio &c.*

Pontifices asserendo. Quin potius argumentum præbent honorificentissimæ illius observantiæ & reverentiæ, qua *Defensores Patricios* & *Imperatores* suos coluerunt, ut hisce officiis eos ad Romanæ Ecclesiæ patrocinium suscipiendum, eamque contra hostium impetus tutandam, sibi facilius conciliarent. Quo eodem consilio ducti summum illud honoris iisdem etiam conferri voluerunt, ut sine eorum assensu, more Orientalium Imperatorum, Pontificum consecratio, prout turbulentissimis iis temporibus necessitas postulabat, celebrari nequaquam posset. Ex quo probabili saltem conjectura assequi potest, Benedictum III. a potioribus quibusdam Principatus functionibus sese abstinuisse, proindeque nec Monetam suam ante cusisse, quam Hludovici Imperatoris assensus Electioni suæ accessisset, & coram ejus Legatis die 29 Septembris A. 855 solemniter consecratus fuisset.

V. Ad tempus autem quo fuit Nummus noster a Benedicto III. percussus ut propius accedamus, eundem ipsius consecratione posteriorem esse certo certius probat PAPÆ titulus in Monogrammate sui nominis implicitus, quo se ipse Benedictus appellat. Solemne enim est, ac iis præsertim temporibus usurpatum, ut non ante quis diceretur aut haberetur Ecclesiæ alicujus EPISCOPUS, aut [nam idem est] PAPA, quam esset solemniter consecratus. Quocirca nil mirum, si Stephanus Presbyter qui A. 752 Romanus Pontifex Electus ante suam Ordinationem vita functus est (a), a nullo ex antiquis Scriptoribus aut Pontificiis Catalogis, Romanorum Pontificum numero censeatur, quum ex Canonum veteri constantissimaque sanctione, nemo EPISCOPUS haberi aut dici valeat, qui sacræ Ordinationis charactere non sit insignitus

tus

(a) Pagi *Breviar. Rom. Pont. in Stephano Electo num.* 1.

tus (*a*); quum viguerit præsertim per octo decemve priora illa sæcula unitas illa Potestatis Episcopalis, quæ nonnisi paullatim temporum decursu in duplicem dividi cœpit, *Jurisdictionis* nempe & *Ordinis*, velut hodierna fert Ecclesiæ Disciplina (*b*). Hinc phrasis illa *Sedit Annos .... Cessavit Episcopatus .....* quæ in Catalogis Pontificiis ac Scriptoribus XI. sæculo antiquioribus occurrit, non aliud temporis spatium comprehendit, quam quod a consecratione alicujus Pontificis ad ejus usque obitum, & ab eo deinceps usque ad consecrationem successoris intercessit, nulla penitus eorum electionis habita ratione (*c*). Hinc etiam patet cur Ecclesiam, quæ dumtaxat Electum non item Consecratum habeat Episcopum, χηρεύουσαν appellet Concilium Chalcedonense (*d*), *Viduatam* Pelagius II. (*e*); cur in vetustis Episcoporum Catalogis ii qui ante consecrationem mortem obierint *vocati, sed non Episcopi* dicantur (*f*); cur denique in libro Diurno vel *electi* vel *designati* (*g*) aut *vocati* (*h*) nomine intelligantur, qui Episcopalem characterem nondum receperint. In *Indiculo* seu Fidei professione, quam Electus Pontifex faciebat legitur: *Ego Ill. misericordia Dei Presbyter & Electus futurusque per Dei gratiam humilis Apostolicæ Sedis Antistes*, vel uti sequentibus sæculis interpolata fuit: *Ego ..... S. R. E. Diaconus vel Presbyter, vel Episcopi Cardinalis electus, ut fiam per Dei gratiam hujus S. Apostolicæ Sedis humilis Minister* (*i*): vel denique prout a Bonifacio VIII. prolata fuit: *Ego Benedictus Cajetanus S. R. E. Diac. Cardinalis, & Electus ut fiam per gra-*

(*a*) Prout expresse definivit Pontificale Romanum *tit. de Consecr. Episcop.* §. 52. ubi consulendus omnino clariss. Catalanus *pag.* 236. *n.* 2. *T. I.*

(*b*) Vanespen *Jus Eccles. Univers. par. I. tit.* 14. *cap.* 15. & alibi.

(*c*) Papebrochius *in Propylæo ad Acta SS. Maji par.* 2. *pag.* 7.

(*d*) Can. 25. *p.* 768. *T.* IV. *Concil. Ed. Paris.*

(*e*) *Cap.* Quoniam. *Dist.* 100.

(*f*) Mabillonius *de Re Diplom. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 8.

(*g*) Lib. Diurn. *cap.* 2. & 3. *Ed. Garnerii*.

(*h*) Ibidem *cap.* 3. *tit.* 3.

(*i*) Ibidem *cap.* 2. *tit.* 9. *pag.* 26.

gratiam Dei &c. (a). Idem plane constat si paucas illas Epistolas electorum Pontificum quæ adhuc supersunt inspiciamus. Joannes IV. anno Christi 640 seipsum inscribit *Ib. Diaconus & in Dei nomine electus* (b). Benedictus II. anno 684 *Benedictus Presbyter & in Dei nomine electus S. Sedis Apostolicæ* (c). Paulus I. anno 757 *Paulus Diaconus, & in Dei nomine electus S. Sedis Apostolicæ* (d). Gregorius VII. anno 1073 in duodecim suis Epistolis *Gregorius in Rom. Pontificem electus* (e), ut omittam ceteros plures qui deinceps occurrunt, ac præsertim Clementem V. (f), Greg. XI. (g), & Martinum V. (h), quorum Litteræ dignæ sunt, quæ legantur; ut præteream Cæremoniale Gregorii X. (i), & vetustum Romanæ Ecclesiæ morem, quo in bullandis Litteris quæ ante Pontificis consecrationem, ab iis quæ postea consignantur, uti consuevit (k).

VI. Ex quibus omnibus quæ hactenus in rem nostram congessimus conficitur, Nummum Benedicti III. in cujus Monogrammate *Papæ* titulo ipse appellatur, non nisi post ejus consecrationem cusum fuisse, proindeque inter 29 Septembris diem, & septimum vel primos subsequentes Octobris mensis, usque dum scilicet Hlotharii Imp. mors Romæ nunciata fuisset. Nullus alius certe in tota Pontificiorum Nummorum veterum serie occurrit, cujus ætas tam angusto temporis curriculo definiri possit.

VII. In summitate Nummi nostri conspicitur solita Crux, quam in omnibus Summorum Pontificum Denariis ab

(a) Bzovius *Annal. Ecclesiast. ad A.* 1294.

(b) Beda *hist. Angl. lib.* XI. *cap.* 19. & Concil. *T.* V. *pag.* 1757. *Ed. Paris.*

(c) Concil. *T.* VI. *p.* 1278.

(d) Cod. Carolin. *epist.* 13. & *Concil. T.* VI. *pag.* 1675.

(e) Regest. Greg. VII. *lib.* 1. *epist.* 1. usque ad 12. *Concil. T.* XI. *pag.* 6. & apud Baron. *ad an.* 1073. *n.* 34.

(f) Raynald. *Annal. Eccles. ad A.* 1307. *num.* 27.

(g) Idem *ad A.* 1370. *n.* 26.

(h) Bussi *Storia di Viterbo pag.* 430.

(i) Mabillon. *Mus. Ital. T.* II. *p.* 223.

(k) Vide litteras Greg. XI. & Martini V. jam laudatas.

ab Hadriano I. ad Paullum II. se reperisse testatur Vignolius *(a)*, excepto fortasse Leone VIII., & paucis aliis *(b)*. Laudanda certe est hujusmodi Christianorum consuetudo, qua æternæ salutis Signum ubique ante oculos repræsentari voluerunt, ut *& qui vivunt jam non sibi viverent, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit (c)*. Ideoque & ipsis etiam Monumentorum inscriptionibus præponere solebant, ut pluribus observant Jacobus Gretserus *(d)*, Paullus Aringhius *(e)* Justus Fontaninius *(f)*, aliique, eadem fortasse ratione & caussa, qua Christi nomen Epistolis præponere mos erat, ut omnia quæcumque facerent in verbo aut in opere, omnia, monente Apostolo, in nomine Domini nostri Jesu Christi facerent *(g)*. Hac occasione in Eruditorum gratiam Inscriptionem quandam hic subjiciendam censeo, quam proximis feriis Autumnalibus Verulis exscripsi, dum una cum P. Augustino Antonio Georgio Ariminensi, Ordinis Eremitarum S. Augustini Presbytero, sacræ Scripturæ in Romano Archi-Gymnasio Professore, Latinis Græcis & Hebraicis litteris eruditissimo, meique amantissimo, ibi commorarer. In majori enim Altari Cathedralis Ecclesiæ S. Andreæ Lapis conspicitur, in quo notatur Depositio Marturii cujusdam Presbyteri in pace Domini defuncti, die Solis Kalendis Decembris Indictione XII. currente, & Crucicula Inscriptioni præponitur hoc modo.

† D̄P̄

(a) *Pag.6. Antiqu. Rom. Pont. Denarii &c.*

(b) In Nummo Leonis VIII. Pseudo-Pontificis *iisdem pag.77.*

(c) S. Paul. *epist.* II. *ad Corinth.cap.5. v.15.* S.Cyrillus Alex. *lib.6. in Julianum.*

(d) Gretserus *de Cruce lib. 2. cap. 15. 16. & 19. Oper. T.I.*

(e) Aringhius *Roma Subterranea lib.2. cap.10.*

(f) Fontanini *Comentario di S. Colomba cap.6. pag.21.*

(g) S. Jo. Chrysost. *hom. 9. in cap. 3. Epist. ad Colossens. T.XI. pag.394. Operum Edit. Montfauc.*

✠ DP MARTVRI
PB INPCI KAL DECEN
BRIS . D. SOLIS IND. XII (*a*)

Sed ut ad Cruces quæ in noſtris Pontificiis Nummis conſpiciuntur redeamus, ſingularis mihi ſemper viſa eſt Joannis Vignolii ſententia (*b*), qui quum obſervaſſet in Nummo Hadriani II. Crucem ſolito loco ſignatam, eamque inter duas anſulas ſeu commata ſibi invicem adverſa comprehenſam, velut in quadam *parentheſi*, ſuſpicatus eſt unum ex illis Arcubus aureis argenteiſve ibi deſignari, qui ad recondendas forte Sanctorum reliquias in Eccleſiis ſæpe offerebantur, quorum non uno in loco meminit Auctor libri Pontificalis (*c*). Eſt quidem hoc ingenioſum magis quam verum, quum nullam Arcus formam præſeferant prædictæ anſulæ, quæ dumtaxat ad ſejungendam Crucem a litteris utrimque paullo infra adſcriptis appoſitæ ſunt, velut cuique inſpicienti patet. Ad eandem enim cauſſam diſtinguendæ, ac, ut ita dixerim, interpungendæ Crucis a ſubſequente inſcriptione, pro artificum lubitu modo unum vel plura puncta, modo binæ claves, modo roſa aut ſtella utrimque effingebantur, prout ex

O Nummis

(*a*) Ætas hujus Inſcriptionis certo deſignari non poteſt. Attamen quarto & ſequentibus ſæculis uſque ad undecimum dies Solis, Indictio XII., & Kalendæ Decembris nunquam ſimul occurrerunt, præterquam Annis 608, 653, 698, & 743, ſi a Septembri Indictionum initia inſtituantur, velut iis præſertim temporibus obtinebant. Ceterum Indictionum Periodus in Italia maxime frequentari cœpit ſæculo ſexto. Iiſdem uſus eſt Theodoricus in ſuis epiſtolis, Pelagius PP.II. [qui obiit A. 589.] & alii deinceps. Aliam Inſcriptionem A. 532. II. P. Coſ. Lampadii & Oreſtis Indict. XI. notatam refert Georgius in notis ad Baronium *Ed. Lucenſ. hoc anno*. Plures aliæ exſtant apud Muratorium *Th. ſ. Inſcript. Cl. V. p. 415 & ſeqq. T. I.* De hiſce Indictionibus plura diximus ſuperiori capite num. X.

(*b*) Vignoli *Antiq. Rom. Pont. Denarii pag. 42.*

(*c*) Lib. Pontifical. paſſim. Vide *in Indice T. I. Edit. Vatic. v. Arcus.*

Nummis Pontificiis a Vignolio, Floravante ac Muratorio editis manifeste apparet (*a*) . Immo in extremo orbiculo unius ex Clementis VI. denariis, quindecim Cruciculæ effinguntur, quarum singulæ per binas hinc inde ansulas separantur (*b*) .

VIII. In adversa parte nostri Nummi loco Crucis signatum conspicitur in extrema ora Sidus octo radiis distinctum , quod & in aliis Gregorii IV. , ac Benedicti III. itidem apparet (*c*): quibus in rebus, quæ ab artificum potius ingenio aut sæculi more pendent, nihil juvat ullum mysterium investigare .

Sequitur deinde S. Petri nomen , quo semper summopere gloriati sunt Romani Pontifices , qui illud idcirco in Nummis aliisve id genus Monumentis honoris caussa præferre solebant, velut præcipui tum Romanæ Urbis tum Ecclesiæ universæ Patroni. Quæ idcirco Donationes Rom. Ecclesiæ fiebant, omnes S. Petro oblatæ dicebantur; ideoque affirmabat Pipinus *quod per nullius hominis favorem sese certamini sæpius dedisset , nisi pro amore B. Petri & peccatorum venia* (*d*) , Donationemque suam *a B. Petro , atque a Sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicæ Sedis , misit possidendam* (*e*) : ubi obiter notat doctissimus Thomassinus , Reipublicæ Ecclesiæque Romanæ jura in unum conjuncta confusaque fuisse. Respublica enim in idem corpus cum Ecclesia B. Petri paullatim concrevit , non alio Defensore multo antea tempore usa , non alio capite conspicua, quam Pontifice Romano (*f*) .

Adest in medio Nummi Monogramma, quod *BENEdicti PAPAe* nomen implicitum habet, de quo supra *n.* VI. & VII.

(*a*) Murator. *Antiq. Ital. med. ævi* T. II. *Diss.* 27. *pag.* 575.

(*b*) Ibidem *num.* 11.

(*c*) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 27. & 37.

(*d*) Lib. Pontifical. In Stephano II. *sect.* 251.

(*e*) Ibidem *sect.* 253.

(*f*) Thomassin. *Vetus & nova Ecclesiæ Disciplina* T. II. *lib.* I. *cap.* 29. *num.* 7. & 8.

& VII. *cap.* II. Utrum autem recto vel obliquo casu idem explicari ac pronunciari debeat, incertum relinquo. Quamvis enim Vignolius observatu dignum censuerit, quod *GREII*, seu *Gregorii* IV. nomen in ejus Nummo, secundo casu expressum, designet monetam ipsius Pontificis esse, non vero Hludowici aut Hlotharii Impp. qui recto casu in adversa parte signantur *(a)*, attamen quum animadverterim in ceteris Pontificiis Denariis hujusmodi nomina modo recto, modo obliquo casu expressa fuisse, omne Vignolii argumentum plane concidit, ac liberum cuique relinquitur, legendi in Inscriptione nostri Nummi vel recto casu *Benedictus* vel obliquo *Benedicti*. Quod si veteres constanter consuevissent omnia elementa, quibus verbum aliquod componitur, in monogrammatibus implicare, minime dubium esset, quod in nostro Nummo Pontificis nomen obliquo potius casu expressum fuisset, eo quod ibi desideretur littera S, quæ ultima est ejus nominis recto casu expressi. Sed cuique notum est, in hujusmodi Monogrammatibus modo omnia, modo opportuniora tantum alicujus nominis elementa fuisse implicita. Ceterum Hadrianus, Nicolaus, Sergius, Anastasius, Joannes, Agapitus & Leo recto casu in eorum Nummis scribuntur *(b)*. Contra vero nomina Gregorii, Sergii, Marini obliquo casu exprimuntur *(c)*. Quocirca nihil certi hac in re definiri posse existimo.

Ex altera Nummi parte post stellam illam, de qua supra sermo incidit, sequitur HLOTHARII IMP. nomen, qui adhuc in vivis existimabatur *(d)*, ex more jam supra

 indi-

(b) Vignol. *loc. cit. pag.* 29.

(a) In Nummis Hadriani I. apud Vignol. *loc. cit. pag.* 1. & *in Tab. nostra ad calcem Operis num.* 1. Nicolai I. *pag.* 40. Joannis IX. *pag.* 56. & *in Tab. nostra* n. 11. Sergii III. *pag.* 62. Anastasii III. *pag.* 64. Joannis XI. *pag.* 67. & XII. *pag.* 73. & XIII. *pag.* 80. Agapiti II. *pag.* 71. Leonis IV. *pag.* 93. His adde Nummum Joannis sub Ottone Imp. cusum *in Tab. nostra n.* 14.

(c) In Nummis Gregorii IV. apud Vignol. *loc. cit. pag.* 27. Marini *pag.* 47. Sergii *Tab. nostra num.* 4.

(d) Vide supra *cap.* 2. *num.* 4. & 8.

indicato, ut Pontifices hoc pacto Imperatores suos tanquam Romanæ Ecclesiæ Advocatos & Defensores honorificentius colerent. Et Hlotharium quidem summis honoribus a Pontificibus affectum demonstrat primùm Auctor Supplementi ad Paulli Diaconi historiam, a quo traditur, A. 823 Paschalem Papam eidem *potestatem, quam prisci Imperatores habuere, super Populum Romanum* concessisse; id quod de Privilegio circa Pontificias consecrationes intelligendum venit. *Fidelitatem* ei a Populo Romano, permittente tamen Sergio II., præstitam fuisse, tradit Pontificis hujus Biographus (*a*). Idemque Patrocinii sui in Urbem & Ecclesiam Romanam peculiare argumentum præbuit in Constitutione A. 824 facta, quam ex Collectione Canonum Cardinalis Deusdedit edidit Lucas Holstenius (*b*). Leonem IV. in Anastasii caussa (*c*), & in ædificatione Leonianæ Civitatis plurimum adjuvit (*d*). Quare propriam imaginem super Altare B. Petri collocari, *ob futuram memoriam sive mercedem personæ Deo caræ per cuncta sæcula venerandæ* (*e*), promeruit; & quum Leo profugam Corsorum Gentem summa pietate in Urbem excepisset, *ob serenissimorum Lotharii & Ludovici majorum Imperatorum, suamque simul mercedem, perpetuamque memoriam* (*f*), id se præstitisse affirmavit: nonnulla de *Imperialibus Capitulis* observandis eidem promisit (*g*), Missos ab eodem *ad Justitiam faciendam* petiit (*h*), & Privilegium denique circa Pontificias consecrationes contulit (*i*). Quum tantis igitur honoribus Hlotharius a Romanis Pontificibus fuerit affectus,

(*a*) Liber Pontificalis in Sergio II. *sect.* 488.

(*b*) Holsten. *in Collect. Roman. par.* 1. *pag.* 208.

(*c*) In Actis Concil. Romani A. 853. *Concil. T.* IX. *pag.* 1135. *Ed. Ven.*

(*d*) Liber Pontificalis in Leone IV. *sect.* 532.

(*e*) Liber Pontificalis in Leone IV. *sect.* 513. (*f*) Ibidem *sect.* 539.

(*g*) Apud Gratianum *c.* 9. *dist.* 10.

(*h*) Apud eundem Gratianum *can.* 42. 2. *qu.* 7. Hunc tamen Canonem Baluzius *in præf. ad Capitular.* Leoni III. potius adscripsit.

(*i*) Pagius *in Crit. Bar. ad A.* 847. *n.* 9.

ctus, quid mirum, si Gregorius IV., Sergius II., Leo IX. (a) & Benedictus III. ejus nomen in propriis etiam Nummis inscribi voluerint?

IX. HLOTHARIUS ex orthographia illius sæculi cum Adspiratione initio vocis in nostro Nummo signatur, velut in authenticis plerisque Diplomatibus pluribusve Nummis etiam in Italia cusis (b) scriptum invenitur. Solebant enim barbaris iis temporibus Francicæ & Germanicæ Gentes, ex ingenita ipsis quadam gutturali oris asperitate, verbis per L incipientibus Adspirationem præponere: qua de re omnino consulendus Schilterus in suo Thesauro Antiquitatum Teutonicarum (c). Hæc nimirum oris asperitas in caussa fuit, cur Germanorum nomina sæpe ab Italis, Teutonicam pronunciationem minime callentibus, varie deformata fuerint. Exemplo esse potest Hlotharii II. nomen, quod apud veteres Scriptores & Monumenta *Luderus*, *Leudo*, *Leuterius*, *Eleutherius* (d), & *Lauterius* (e), semper scribitur, qui tamen in suis Diplomatibus se *Lotharium* signare solebat. Apposite Ekkehardus in vita B. Notkeri Balbuli (f) de Germanis & Gallis, qui sub Carolo Magno Ecclesiastico Cantui juxta Romanum morem difficiliter sese accommodabant: *Alpina siquidem corpora vocum suarum tonitruis altisone perstrepentia, susceptæ modulationis dul-*

[a] Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 27. 30. & 35.

[b] Apud Vignol. *loc. cit.*

[c] *Tom. III. pag.* 414.

[d] Chronicon Gotwicense *Tom. I. pag.* 330.

[e] Ex membrana insignis Archivii Archiepiscopalis Ravennæ *num.* 304 *Caps. B.* in qua *Gualterius Servus Servorum Dei Divina gratia Archiepiscopus sancte Ravenne Ecclesie* Privilegium & plura bona concessit Ecclesiis *S. Marie in castro Argente, & S. Nicolai de burgo ejusdem castri*, & earum *Presbyteris & Clericis ad eorum necessitatem & quotidianum victum ..... secundum paginam Canonica Regule ... ut insimul omni tempore dormiant, simulque manducent, & ceteras horas dierum ad orandum pro vivis & defunctis ad reddendas Deo laudes summo studio observent &c.* Data est autem Charta ejusmodi *Anno ab Incarnatione Domini* MCXXVI. *temporibus D. Honorii Pape & Lauterii Regis, die nonodecimo mensis Februarii Indictione quarta Argenta.*

[f] Apud Goldastum Rer. Alamann. *T. I. cap.* 8. *pag.* 358.

dulcedinem proprie non resultant; quia bibuli gutturis barbara grossitas, dum inflexionibus & repercussionibus & dyaphoniarum diphthongis mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia, rigidas voces jactat, sicque audientium animos, quos mulcere deberent, tales exasperando magis ac obstrependo conturbant. Nos in Hlotharii nomine scribendo orthographiam illius sæculi, quam & Nummus noster aliaque monumenta præseferunt, sequendam duximus, quum præsertim Nominis illius origo Italica non fuerit, sed Teutonica aut Francica, juxta quam duplici adspiratione exarari debet.

X. PII cognomentum Hlothario additur, in monogrammate Nummi nostri contentum. Hujus quidem tituli ipsi solemniter adscripti nullam apud Scriptores mentionem habemus. Satis tamen constat honorificas hujusmodi appellationes communi potius populorum consensu, quam solemni aliqua acclamatione paullatim attributas fuisse. Et Carolo quidem, dum viveret, *Magni* titulus nondum peculiare ejus cognomentum evaserat. Idem de *Pii* titulo, quo Hludovicum I. Imperatorem donamus, asserere videntur Mabillonius (a) & Pagius; sed, ut observat Vignolius noster, hunc titulum etiam dum viveret meritus est; nam in duobus Nummis, a Gregorio IV. percussis, solito monogrammate PIUS appellatur (b), quo nempe communiter ob egregia pietatis facinora donabatur. Hinc in elogio, quod supra ejus sepulcrum in Metensi S. Arnulphi Monasterio inscriptum fuit, ita legitur:

Rex Lodovicus PIETATIS tantus amicus,
Quod PIUS a POPULO DICITUR & TITULO.

Hilde-

(a) Jo. Mabillon. *Analect. Tom.* II. *pag.* 423.

(b) Vignoli *Ant. Rom. Pont. Denarii pag.* 29. & 39.

Hildegard soboles, Caroli Magni PIA proles,
In pacis me as colligit hunc PIETAS (a).

Hic quidem *Pii* titulus inter cęteros Regiæ Majeſtati debitos jam tunc habebatur, velut ex formulis libri Diurni Romanorum Pontificum *(b)* & ex Datis Diplomatum aliorumve Monumentorum colligitur, ubi *Pii*, *Piiſſimi*, *Sereniſſimi*, *Pacifici*, *Magni*, *a Deo coronati* Imperatores Regeſve dicuntur: qui omnes non meriti, ſed Dignitatis Tituli evaſerant; ideoque nil mirum ſi & Hlothario, Principi haud pio, PII cognomentum datum fuerit. In ejus Epitaphio legitur:

Continet hic tumulus memorandi Cæſaris oſſa
Hlotharii magni Principis atque PII (c).

In Nummis Romanorum Pontificum Gregorii IV., Sergii II. *(d)*, & Benedicti III. *Pius* etiam appellatur; eoque nomine donatur quoque Hludovicus II. Imp. ejus filius in aliis Nummis Benedicti III. *(e)*. Adeo enim hujus ætatis Principes eximio hoc titulo oblectabantur, ut libenter ipſis vel ex animo, vel ex aſſentatione, ut plurimum fieri ſolet, ab omnibus tribueretur.


Ex Ære.

EX MVSEO VICTORIO.

CAPUT

(b) Apud *Du-Cheſn. Hiſt. Franc. Scrip. T. II. pag. 320.*
(b) *Edit. Garnerii pag. 4. &c.*
(c) Apud Brower. *in Annal. Trevirenſ. lib. 8.*
(d) Apud Vignol. *l. c. p. 27. & 30.*
(e) Vide *num. 1. cap. ſequentis.*

CAPUT V.

I. *Nummi alii editi & inediti ad Benedictum* III. *spectantes recensentur* . II. Sancti *Titulum unica Sigla* S. *notari consuevisse , etiam ante sæc.* XI., *probatur* . III. *Ex adscripto in Nummis Pontificiis* S. Petri *nomine evinci non potest Protomas in iis expressas , S. Petrum repræsentare*. IV. *S. Petri Imagines summa cura in Romana Ecclesia servatæ* . V. *Protomæ Nummorum Pontificiorum capite fere semper nudo exhibentur* . VI. *Aliquando etiam Mitrato.* VII. *An Romani Pontifices se ipsos sub S. Petri insignibus repræsentarint ?* VIII. *Claves ad prædictas Protomas additæ S. Petrum facile designant* . *De forma & Numero Clavium S. Petri* . IX. Barbatus *vultus S. Petro potius quam Romanis Pontificibus convenit* . X. *De Cruce S. Petro sæpe tributa* . XI. *Litteræ* RO *in Bened.* III. *Nummo quid designent ?* XII. *De Symbolis quæ in Pontificiis Nummis occurrunt* . *De* Flore , Porta Urbis , Cruce , & Manu expansa . XIII. Manus *pro potestate , & Dei virtute aut ope.* XIV. Manibus sublatis *preces, vota, & Magistratuum electio olim fiebant* . XV. Manus *Juramenti & Fidelitatis symbolum* . XVI. & XVII. *Quæ Fidelitas vel Juramentum in Nummis Benedicti* III. *& Joannis PP. designari possint.*

I. DE proposito Benedicti III. Nummo , cujus gratia hanc Dissertationem instituimus , hactenus satis superque meo quidem judicio loquuti sumus . Sed antequam Opusculum nostrum concludamus , de tanti Pontificis memoria optime meritos futuros nos esse confidimus , si ad reliquos ipsius Nummos [quotquot adhuc innotuerint] illustrandos , animum advertamus . Unum porro observavimus

vimus in Museo eruditissimi Equitis Francisci Victorii, de quo supra *cap.* 2. *num.* 6., qui nondum lucem aspexit. Ejus autem Typum hic delineare supervacaneum ducimus, eo quod si antica pars Nummi [quem hac Dissertatione illustravimus, & fronti ejus præfiximus] cum postica parte alterius Nummi in Tabula nostra delineati *num.* 7. simul jungantur, eundem plane Typum referant cum Nummo inedito Musei laudati. In altera igitur parte legitur SCS PETRVS. & in medio Monogramma constans ex litteris B. E. N. P. A. In adversa LVDOVVICVS IMP. cum Monogrammate P.I.V.S.

Secundum ponimus Nummum, qui in Tabula nostra *num.* 6. visitur, a Le-Blanco (*a*), Vignolio, Floravante (*b*), & Muratorio (*c*) evulgatum. Apparet in eo cujusdam viri Protome, media inter litteras S. P. hinc inde signatas, & circa oram legitur † BENEDICT.P. In adversa vero parte conspicitur dextra quædam manus expansa & erecta, litteras R. O. intersecans; in ora † LODOVVICVS. IMP.

Sequitur in Tabula *num.* 7. Nummus alter ab iisdem eruditis viris jam editus, in cujus gyro legitur † SCS. PETRVS, in medio orbiculo B. N. E. D. R.; & in adversa parte * LVDOVVICVS IMP. cum solito Monogrammate P.I.V.S.

Quod omnes jam relati Nummi ad Benedictum III. qui Pontificalem Cathedram tenuit ex ante diem 3. Kal. Octobris A. 855. usque ad Aprilem A. 858., pertineant, constat ex adjuncto Hludovici Imp. nomine; Hic enim quum jam ab A. 849. Imperii consors a Hlothario Patre

P fuisset

[*a*] *Dissertation historique sur quelque monnoye de Charl Magne, de Louis le Debonnaire, & de leurs successeurs frappées dans Ro.. e &c. pag.* 107.

[*b*] *Antiquiores Rom. Pontif. Denarii. Romæ A.* 1734. additis curis Benedicti Floravantis *pag.* 37.

[*c*] *Antiq. Ital. med. ævi T.* 11. *p.* 556. *num.* 12.

fuiſſet adſcitus, & ſequenti anno Auguſtea corona a Leone IV. Romæ donatus, poſt Patris obitum *(a)* Imperium & Romanæ Eccleſiæ Advocatiam ſolus adminiſtravit uſque ad A. 875., quo pridie idus Sextileis ad Superos eſt tranſlatus *(b)*. Poſſent fortaſſe hi Nummi etiam ad Benedictum IV. referri, ſub quo Hludovicus III. Imperium obtinebat; At Nummi, qui eidem a Vignolio adſcribuntur, diverſam plane Orthographiam, & Monogrammatum formam exhibent *(c)*.

HLVDOVICI Imperatoris nomen varia orthographia ſcribitur, juxta Regionum Populorumque diverſitatem. Francos enim cum adſpiratione, & ſæpe etiam cum geminata V pronunciaſſe indicant innumera pene Monumenta, & quæ præcipue in ipſius Imp. *Cancellaria* data fuerunt. Idque ipſa etiam nominis origo ſuadere videtur; *Chlovis* enim in veteribus nummis cum C & H exaratur, quod deinde in *Chledovicum*, *Chlodoveum*, *Hlodovvicum*, & poſtremo in *Aloyſium* evaſit.

De pronunciatione Septentrionalium Populorum, ſatis jam ſupra ſcripſimus *num.* 8. *cap.* 4., ubi & de *Pii* cognomento [*num.* 10.], & de Cruciculæ ſeu ſtellæ ornamentis [*num.* 7. & 8.] Romani vero etſi *Hlotharium* duplici adſpiratione conſcriberent *(d)*, prout *num.* 9. *loc. cit.* jam obſervavimus, *Hludovici* tamen nomen nulla præpoſita adſpi-

(a) Hlotharius Imp. obiit d. 28. Septembri. A. 855. Vide ſupra *cap.* 2. *n.* 3.

(b) Hluduvici II. Imp. obitum dici 19. Kalend. Septembris adſignat Necrologium Remaricenſis Monaſterii, quod ſupra laudavimus *num.* 3. *cap.* 2., & cujus excerpta quædam dabimus in noſtra Appendice Monumentorum. Andreas Presbyter [apud Murator. *Ant. med. ævi T. I. pag.* 52.] cum deceſſiſſe ſcribit *pridie Idus Auguſti in finibus Brefcianis*. Chronicon Vulturnenſe *Idibus Auguſti*. Necrologium Monaſterii S. Germani de Pratis [apud Mabillon. *de Re Diplom. lib.* 2. *p.* 206.] 10. *Kal. Sept.* Omnibus tamen præferendus eſt Andreas Presbyter prædictus natione fortaſſe Brixienſis, ut ſuſpicatur Muratorius [*Annali d' Italia* ad A. 875. *T. v. pag.* 110.] vel qui ſaltem ejuſdem Hluduvici Imp. funeri interfuit.

(c) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 59.

(d) Ita in Nummis Gregorii IV. apud Vignol. *pag.* 27. Sergii II. *pag.* 30. Leonis IV. *pag.* 35. & in noſtro Nummo Benedicti III.

adſpiratione in Nummis exararunt. Teſtes adhibeo Nummos Paſchalis I. *(a)*, Gregorii IV. *(b)*, Nicolai I. *(c)*, Hadriani II. *(d)*, & Joannis VIII. *(e)*, in quibus LVDOVVICVS ſcribitur; In duobus autem Benedicti IV. LVVDOICVS *(f)*. In eo quem nunc illuſtramus Benedicti III. LODOVVICVS *(g)*. Ceterum in Bulla Papyracea Leonis IV. A. 850, in alia A. 854, & in alia Benedicti III. pro Monaſterio Corbejenſi Adſpiratio præponitur. In Epitaphio ipſius Hludovici, quod Mediolani adhuc exſtat, *HLVDOVICVS (h)*. His breviter expoſitis, ad ea quæ accuratiorem requirunt indaginem deſcendamus. Ac primo de Protome, quæ in Nummo 6 Tabulæ noſtræ conſpicitur cum litteris S. P., poſtea de Siglis R. O. & de Manus Symbolo plura notatu digna ſubjiciemus.

II. Solemne fuit Romanis Pontificibus, ſæculis præſertim VIII., IX., X., & XI., Apoſtolorum Principis nomen in ſuis Nummis inſcribere, ut quidquid haberent illi acceptum referrent, cujus perſonam in militante Eccleſia gerebant. Quinquaginta circiter eorum Denarii ab 8 ad 11 ſæculum percuſſi, hactenus lucem viderunt; Duodecim alios hactenus ignotos præſenti Diſſertatione nos primum evulgamus. In his autem univerſis, paucis admodum exceptis *(i)*, *S. Petri* nomen clare inſcriptum apparet. In incerti temporis Nummo, quem damus in Tabula noſtra *n.* 15. legitur *Sanctus Petrus*. Nonnunquam & S. Pauli nomen etiam additum fuit, prout in duobus Nummis Stephani PP. *(k)*. In alio autem apud

 Fon-

(a) Vignol. *loc. cit. pag.*24.
(b) Ibidem *loc. cit. p.* 27.
(c) Ibidem *loc. cit. p.*40.
(d) Ibidem *loc. cit. pag.* 42. & *in Tab. noſtra num.*9.
(e) Ibidem *loc. cit. pag.* 44. & *in Tab. oſtra num.*10.
(f) Ibidem *loc. cit. pag.*59.
(g) Ibidem *loc. ci . pag.*37.
(h) Apud Puricellum *in Monum. Baſil. Ambroſiana*.
(i) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 1. 71. 77. Vide etiam *in Tabula noſtra num.*1.
(k) Apud Vignol. *pag.*23. & 50.

Fontaninium amborum Apoſtolorum imagines exhibentur cum Inſcriptione ROMANI PRINCIPes *(a)*.

Ceterum hoc S. Petri nomen modo integre expreſſum reperitur SCS. PETRVS, modo abbreviate SCS PETR., modo etiam per ſingulares litteras S.P. vel S. PE. Ne ſuccenſeat nobis eruditiſſimus Fontaninius, qui exiſtimarat *Sancti* titulum per ſingularem litteram *S* nequaquam ante XI. ſæculum deſignari conſueviſſe. Fateor & ego in communi uſu frequentiſſime fuiſſe, ut per S̄C̄S̄ exprimeretur; at quod *poſt ſæculum* dumtaxat XI. *prænomen Sancti unica litera S indicari cœptum fuerit (b)*, minime clariſſimo huic viro concedi poteſt. Litteræ enim S. P. ad Protomen Nummi a Benedicto III. cuſi, quem nunc illuſtramus, appoſitæ, quid aliud quam *Sancti Petri* nomen aperte deſignant, quod in ceteris aliis hujuſmodi Numiſmatibus conſtantiſſime legitur?

In alio item Denario Formoſi Pontificis *(c)* qui ab A. 891. ad A. 896. Romanam rexit Eccleſiam, eædem litteræ S. P. ſignantur hinc inde a Protome quadam, in qua S. Petrum repræſentari certiſſime arguo ex Clavibus ei adjunctis. Clarius id ipſum liquet etiam ex alio Nummo Benedicti Papæ ſub Ottone Imp. percuſſo, & per Floravantem evulgato *(d)*, in quo ad Protomen Cruce inſignitam legitur S. PE. In alio Nummo Johannis X. apud Vignolium *(e)* *S. PETRS*. Omnium vero inſtar ſit præclariſſimus Sergii PP. Nummus, quem ex Muſeo Vaticano olim Xaverii Scyllæ nunc primum in lucem edimus in Tabula noſtra ad calcem Operis *n.* 5. Ibi enim ſingularis littera S. & PETRI nomen in Monogrammate impli-

(a) Apud Juſtum Fontaninium *in Diſco argenteo votivo veterum Chriſtianorum. Romæ* 1727. *cap.*14.*pag.*38.

(b) Idem *loc. cit. pag.*41.

(c) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 52.

(d) *Loc. cit. pag.* 83. ubi Nummus ille Benedicto VI. tribuitur, ſed meo quidem judicio incerte; poteſt enim & V. & VII. adſcribi.

(e) *Loc. cit. pag.*65.

implicitum evidenter apparent. Quæ ideo a nobis diligenter notata sunt, ne cui fucum faceret auctoritas doctissimi viri Justi Fontaninii, quum præsertim eo tempore quo ipse scribebat præter Benedicti III. & Joannis X. nummos, ceteri alii nondum lucem conspexissent. At fateri debemus alia etiam Monumenta solertissimi viri diligentiam effugisse. Nam & antiquissimum Musivum Ecclesiæ S.Agathæ in Suburra [quod v. sæculi existimatur] XII. Apostolor. imaginibus decoratur, quarum singulis Apostoli nomen adjungitur, præposita ad designandum *Sancti* titulum singulari littera S *(a)*. In Musivo Ecclesiæ S.Laurentii in Agro Verano a Pelagio II. [qui obiit A. 590] constructo, quatuor Sanctorum imagines repræsentantur cum adpositis nominibus S. LAURENTIUS. S.PETRVS. S. PAULUS. S. STEPHANUS *(b)*. Item in Musivo insignis Capuanæ Ecclesiæ, quod sæculi IX. initio ædificatum fuit, exhibentur quatuor Sanctorum imagines cum subjectis nominibus S. PETRUS. S. STEPHANUS. S.PAULUS. S. AGATA *(c)*; Ac in alio etiam Ecclesiæ S. Mariæ Novæ, quod Joanni VII., vel Nicolao I. tribuitur, quatuor aliis Sanctorum imaginibus adscripta reperiuntur nomina S. JOHS. S. JACOBUS. S. PETRUS. S. ANDREAS *(d)*.

Nec prætereunda est eximia quædam vetusta vitrea lamina, quam observavi in Museo Capponiano nunc Collegii Romani Societatis Jesu, de qua iterum sermo erit *num.* VIII. hujus capitis. Exhibentur ibi auro delineatæ, prout in vetustissimis vitris Cœmeterialibus, SS. Apostolorum Protomæ, & Petri quidem ad dexteram [velut & in prædictis *(e)* apparet] cum litteris S. PETRUS, & S. PAU-

(a) Ciampin. *Vet. Mon. T. I. tab.* LXX.
(b) Idem *loc. cit. T.* II. *tab.* XXVIII.
(c) Idem *loc. cit. tab.* LIV.
(d) Idem *loc. cit. tab.* LIII.
(e) Buonarruoti *Vetri Cemet. pag.* 77.

& S.PAULUS. Vetuſtiſſimam quoque S. Damaſi Pontificis Inſcriptionem exhibet cl. Franciſcus Blanchinius (*a*), qui Siglas S. PA. S. PE. ibi ſignatas *S. Paulus*, *&* *S. Petrus* ſolertiſſime eſt interpretatus. Si eundem audiamus, etiam litteræ S P, quæ in celebri Numiſmate Criſpi Cæſaris inſcribuntur (*b*), *Sanctum Petrum*, vel *ſignum Petri* deſignare videntur. At pace doctiſſimi viri figura illa ſedens, quæ in medio Nummo repræſentatur, potius ad Chriſtum Dominum referenda videtur, cui optime convenit Inſcriptio in ora ejuſdem Nummi appoſita *ſalus & ſpes* x. *Reipublicæ*, vel etiam ad Conſtantinum Criſpi patrem, dextera in ſalutantis modum porrecta. His igitur exemplis conſtat, *Sancti* titulum unica littera S etiam ante XI. ſæculum notari conſueviſſe, contra ac ſenſerat cl. Fontaninius.

III. Sed ut ad Protomas illas, quæ tum in Nummo Benedicti III. tum in aliis pluribus Rom. Pontificum obſervantur propius accedamus, non ita facile de omnibus in univerſum pronunciarim an Pontificem ipſum, cujus eſt Nummus, an potius Apoſtolorum Principem repræſentent. Etſi enim hujuſmodi Protomæ S. Petri nomen modo ad latus, modo in ipſius Nummi gyro adſcriptum habeant, qui in rebus Antiquariis verſantur optime norunt, non ſemper litteras, circa imagines aut ſymbola Nummorum expreſſas, ad ſymbolum ipſum in typo repræſentatum referri, ſed vel locum cuſæ monetæ, vel officinæ ſignum, vel cetera hujuſmodi ſæpe ab iis deſignari. Protome quædam conſpicitur in Nummo Joannis X. ad cujus dexteram JOH, ad ſiniſtram S. PETRVS adſcribitur (*c*). Quis autem divinarit, utri potius adjudicanda ſit hujuſmodi Protome, quæ inter Joannis & S. Petri nomen media

(*a*) *In præfat. ad Tom. I.* Anaſtaſii *num. 35.*

(*b*) *Loc. cit. num. 55.* Idem Numiſma edidit primùm Baronius *in Annal. ad A. 324. n. 15.*

(*c*) Vignol. *loc. cit. p. 65.*

dia exiſtit? In alio Denario Agapiti II. Caput quoddam cernitur Cruce ad latus adjuncta: in gyro ſcriptum eſt AGAPITUS PA. Alius ejuſdem Pontificis Denarius idem Caput præſefert, ſed in gyro non *Agapiti* nomen, ut in ſuperiori, ſed SCS PETRUS legitur *(a)*. Quis igitur ſtatuere certo poterit, an illa imagine S. Petrus, vel potius Pontifex ipſe effictus fuerit? Quum enim, ut antea dicebamus, tutelarium Sanctorum nomen in Nummis medii ævi, ac præſertim in Pontificiis ad indicandam Romanæ Eccleſiæ Urbiſve monetam, inſcriberetur, quoties S.Petri nomen in gyro commode exprimi non potuiſſet, aliquo ſaltem pacto in area Nummi indicandum videbatur; ideoque non ſemper hujuſmodi Nomen ad Protomen neceſſario referendum eſt, quum & pro ſignatæ pecuniæ loco aut ceteris hujuſmodi indicandis, notari potuiſſet.

IV. Quod ſi Nummorum noſtrorum Typi adeo informes & rudes pro ævi illius barbarie non eſſent, facile hanc poſſemus quæſtionem ex ipſis vultus lineamentis dirimere. Summo enim ſtudio priſci Eccleſiæ fideles, Chriſti Domini, & SS. Apoſtolorum imagines propriis eorum ac velut vivis lineamentis continua traditione ſervarunt *(b)*; Id quod de imagine Sancti Apoſtolorum Principis diſertis verbis tradit Euſebius *(c)*, pluribuſque confirmant cl. Philippus Bonarrotius *(d)*, & doctiſſimus Præſul Jo.Bottarius *(e)*. Antiquiores S. Petri imagines peculiari Diſſertatione collegit & illuſtravit cl. vir mihique ſingulari familiaritate conjunctus Petrus Franciſcus Fogginius *(f)*. Ex iis autem liquet quandam ſimilitudinem in univerſis illius

(a) *Loc. cit. pag.71.*

(b) Conf. cl. Eq. Franciſcus Victorius in lib. de Nummo æreo veterum Chriſtianorum cap.7. & ſeqq.

(c) Euſeb. *Hiſt. Eccl. lib 5. cap. 18.*

(d) *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro &c. p. 75. & ſeqq.*

(e) *Oſſervazioni alle ſculture &c. della Roma Sotterranea T.I. p.94.*

(f) *De Romano D. Petri itinere. Exercitatione xx.*

illius imaginibus religiose semper observatam fuisse, ut nudo præsertim capite & barbata facie omni tempore effictus fuerit. Sed neque hæc ipsa lineamenta in nostris Nummis facile perspici possunt, quibus æque ac Imperatorum Orientalium Numismatibus convenire potest verissimum illud Cangii effatum, quod *si non artium omnium, certe Monetariæ præsertim postremis hisce sæculis interitum arguit quam pessime in Nummis Augustorum aliorumque formata effigies, rudi adeo stylo, ut virorum ne sint an feminarum non proclive sit conjicere* (*a*). Quare frustra in nostris Nummis imaginem S. Petri ex oris lineamentis recognoscere possumus.

V. Nostrorum quidem Nummorum Capita plerumque nuda esse judico, & Corona tantum Clericali insignita, quam perperam confundens Vignolius (*b*), *Camelaucium* illud repræsentare existimavit, quod solitum erat Romanorum Pontificum integumentum, *Bireto* vel *Camauro* hodierno simillimum (*c*). Sed in vetustis monumentis, ubi vel Romanorum Pontificum, vel ipsius Apostolorum Principis Caput repræsentatur, sola Clericali corona decorantur, prout videre est in Basilica S Paulli extra Urbem, ubi quædam Pontificum Romanorum series ab antiquissimo tempore depicta apparet (*d*). Tum, quoad sæculum VI., prostant imagines Felicis IV. in Musivo Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani (*e*), & Pelagii II. in alio Ecclesiæ S. Laurentii in Agro Verano (*f*); quoad sæc. VII.

alias

(*a*) Carolus Du-Cange *in Dissert. de Infer. ævi Numismatibus. num.* 75. ad calcem *Gloss. med. & inf. Latinit.*

(*b*) *Pag.* 37. & 63.

(*c*) Anastas. in Constantino *sect.* 172. *Apostolicus Pontifex cum Camelauco, ut solitus est Roma procedere, a Palatio egressus, in Placidias properavit*. Vid. Du-Cangius *in Glossar.* & *in Joinvillam Dissert.* 24. *n.* 4. & Dominicus Georgius *de Liturgia Rom. Pontif. T. I.* Hoc fortasse Camelaucio contectus videtur Gregorius IV. in Musivo Ecclesiæ S. Marci apud Ciampin. *Vet. Monum. T.* II. *tab.* XXXVII.

(*d*) Quarundam Typum videsis *T.* II. *pag.* 3. Anastasii de iisque plura *in Proleg. ejusd. Opusc.* XI. *cap.* 3.

(*e*) Ciampini *Vet. Monum. P.* II. *tab.* XVI.

(*f*) Idem *loc. cit. tab.* XXVIII.

alias habemus imagines Honorii I. in Musivo Ecclesiæ S. Agnetis extra Muros *(a)*, Joannis IV. in Musivo Oratorii S. Venantii *(b)*; Et quoad sæculum denique VIII. imagines adhuc servantur Leonis III. in Musivo Ecclesiæ S. Susannæ *(c)*, & in altera parte Triclinii Lateranensis *(d)*, atque aliæ Paschalis I. in Musivis Ecclesiarum S. Mariæ in Domnica *(e)*, S. Praxedis *(f)*, & S. Cæciliæ *(g)*, in quibus omnibus Monumentis laudati Pontifices nudo capite, & solita Corona Clericali plerumque insigniti exhibentur. Quæ pingendorum Pontificum consuetudo diu etiam permansit, postquam Mitræ usus obtinere cœperat. Casanatensis enim Codex quem supra *cap.* III. *num.* II. laudavimus, ubi Pontificum Catalogum exhibet, ad oram marginis depictos habet orbiculos quosdam, in quibus ipsorum Pontificum Protomæ apparent, detecto capite, & vertice prorsus nudo, ex quo capillitia Corona aliquantulum promissa dependet.

Quod si etiam Apostolor. Principis imagines quotquot ad ætatem nostram pervenere vel minimum inspiciamus, nulla est, in qua ipse nudo capite non appareat. Consulantur integra Bonarrotii *(h)*, Aringhii *(i)*. Ciampinii, *(k)* & Alemanni *(l)* Opera, ad quæ lectores libenter remitto. Clericalis insuper Coronæ specie ornatus videtur in Musivis S. Susannæ *(m)*, & Triclinii Lateranensis a Leone III. *(n)*, in iis S. Cæciliæ a Paschale I. *(o)*, & S. Marci a Gregorio IV. *(p)* constructis. Quum enim ea invalescere jam

Q coe-

(a) Ciampini *loc. cit. tab.* XXIX.
(b) Idem *loc. cit. tab.* XXXI.
(c) Idem *loc. cit. tab.* XLII.
(d) Idem *loc. cit. tab.* XLI.
(e) Idem *loc. cit. tab.* XLIV.
(f) Idem *loc. cit. tab.* XLVII.
(g) Idem *loc. cit. tab.* LII.
(h) Buonarr. *Vetri Cemeter. Tab.* X. *& seqq.*
(i) Aringhius *in Roma Subterr.* passim, cui addend. Jo: Bottarii *Osservazioni alla Roma Sotterr. &c. ad tab.* XVI. L. XXI. *&c. usque ad* XXVIII. & alibi.
(k) Ciampini *Vet. Monum. &c.* passim.
(l) N c. Alemannus *de Later. Pariet.*
(m) Ciampin. *Vet. Mon. P.* I. *tab.* XLII.
(n) Idem *loc. cit. tab.* XL. *&* XLI.
(o) Idem *loc. cit tab.* LII.
(p) Idem *loc. cit. tab.* XXXVI.

cœpiſſet opinio, quod Clericalis Tonſura ex ipſius Apoſtolorum Principis inſtitutione dimanaſſet, non admodum difficile fuit ejuſdem S. Apoſtoli Capillitium paullatim ad Coronæ modum in imaginibus ſuis tonſum repræſentare, ut vero ſimilior, prout falſa eorum temporum ferebat opinio, ejus imago redderetur; Qua eadem quoque ratione & aliorum Apoſtolorum atque Sanctorum Capita depicta fuere. Quapropter ex rudibus adeo lineamentis, quæ in noſtris Pontificiis Nummis apparent, male & incerte admodum potuit Vignolius *Camelaucium* Romanorum Pontificum recognoſcere, quum multo probabilius videatur Clericalem Coronam ibi repræſentari, quam geſtaſſe tunc temporis Romanos Pontifices jam diximus. Ac re quidem vera, quum plures ex Nummis a Vignolio editis in variis hujus Urbis Muſeis inviſerem, deprehendi non ſemper Chalcographos ſecundum ipſam Nummorum formam apographa ſua delineaſſe, ſed nonnunquam Typi elegantiæ aliquantulum indulſiſſe, prout in hujuſmodi Monumentis ſæpe contingit. Exemplum dabo in Nummo Benedicti PP ſub Ottone Imp. percuſſo (a), in quo Caput apparet quadam veluti corona redimitum, quum tamen in ipſo Nummo nequaquam id ornamenti adponatur, ſed inter lineolas duas ſupra frontem tranſverſe ductas aliæ plures perpendiculariter ſignentur, adeout manifeſta in ipſis capillitia Corona deſignetur, ut in ipſo Nummo apud Eq. Franciſcum Victorium probe recognovi, qui ejuſdem Typum in Opere *de Floreno aureo* exactiſſime, ſuo more, repræſentavit (b).

VI. Sed non in omnibus Pontificum Romanorum Nummis, Capita quæ in ipſis apparent, nuda & ſola Clericali Corona inſignita exhibentur. Duos enim habemus Sergii

(a) Apud *Vignol. Antiqu. Rom. Pont. Denarii pag.* 83. n.2.

(b) *Il Fiorino d' oro antico illuſtrato. Firenze* 1738. *pag*. 39. 18. & 174.

Sergii [fortasse III.], qui ab A. 904 ad 911 Romanæ præfuit Ecclesiæ *(a)*, in quibus solita Protome apparet cum litteris hinc inde SCS PETRUS, & supra caput Mitra acuminata ad instar coni, qualis hodie ab Episcopis nostris adhibetur. Mitræ porro usum vel tunc habuisse Summos Pontifices, nullus dubito; eo vel maxime, quod Leo PP. IV. ejusdem usum Anschario Episcopo Hamburgensi concesserit *(b)*, eamque referat effigies Joannis XV. Papæ apud Ughellium *(c)*. Consulantur Mabillonius *(d)*, Cangius *(e)*, Georgius *(f)*, & Catalanus *(g)*. Quæ autem in Nummis Sergii & in ea Joannis XV. imagine Mitra conspicitur, oblonga est, in acumen desinens, *ad instar* [prout ajebat Mabillonius] *Saccarei panis*; quo plane modo apparet etiam in vetustissima S. Petri marmorea statua ad Portam Basilicæ S. Petri Corbejensis *(h)* erecta.

Sed quid igitur? In Sergii Nummis quis potius repræ-

 sentabi-

(a) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 62.

(b) Leo IV. in Bulla Anschario Episcopo Hamburgensi concessa, data *mense Martio Ind.* XII. A. 849. *Ornari quoque caput tuum Mitra, portari ante te Crucem &c.* Exst. apud Lindenbrogium *in Scriptor. Septentrional.*, & *in Bullario Rom. Edit. Maynardi T.I.pag.*182.

(c) Ughellius *Ital. Sacr. T.*v. *p.*1542. *prior. Edit.* edidit descriptionem picturæ membranacei Codicis Privilegiorum Tiburtinæ Ecclesiæ, sæculo [ut videtur] XI. concinnati, quem ex autographo recenti manu descriptum servat Barberina Bibliotheca *Cod.*2305., ex quo descriptionem prædictam habuit Ughellius. Eundem Codicem pro sua qua est humanitate mihi communicavit eruditus vir Simon Ballarinius eidem Bibl. Præfectus; & collatione facta deprehendi, male apud Ughellium legi *Joannes* XV. *imberbis cum Mitra corni instar insurgente*, quum in Codice *p.* 415. scriptum fuerit *Mitra Coni instar insurgente &c.* Mitram Episcopalem X. sæculi exhibet vetus Charta Roriconis Episcopi Laudunensis *apud Mabillonium de Re Diplom. Tab.* LIII. *num.*3. ubi in Sigillo Pontificalis figura conspicitur cum Mitra, quæ primum recte insurgit, sed demum in acumen desinit. Sæculo demum XI. Mitræ usus communior factus est, adeout Mansionarii Vaticanæ Basilicæ, qui superbia elati *se Cardinales Presbyteros esse* jactabant, *Mitram gestasse* dicantur, prout *in Actis S. Gregorii* VII. inter *Script. Rer. Ital. T.* III. *par.* 313. & apud Baron. *A.* 1084. *n.*9. & *in Actis SS. Maji die* 25. *pag.*153.

(d) Jo. Mabillon. *præf.* II. *in sæc.* IV. *Ord. S. Benedicti n.*CLXXXII. *&* CLXXXIII.

(e) Carolus Du-Cange *Dissert.* XXIV. *n.* 4. *in Joinvillam* & *in Glossar. med. & inf. Latinit.*

(f) Dominicus Georgius *de Liturgia Rom. Pont. T. I. lib.*1. *cap.*27.

(g) Catalanus *in Pontifical. Roman. T.I.pag* XXIV.

(h) Apud Mabillonium *loc. cit.*

sentabitur, ipsemet Pontifex, an Apostolorum Princeps? Ut mea quidem fert sententia, quantum in rebus tanta obscuritatis caligine involutis conjectura assequi licet, arbitror nullum alium ibi designari, quam Sergium Pontificalibus ornamentis indutum: etsi enim, ut supra monuimus, Romani Pontifices nudo fere semper capite, iis præsertim sæculis, effingerentur, quum tamen Mitræ usum suscipere cœpissent, non alienum erat, si tali etiam insignitos ornamento se in aliquibus monumentis exhibuissent. Multò autem absurdius videretur, si Apostolorum Princeps hoc modo ab iis repræsentatus fuisset, quem in omnibus vetustis imaginibus nudo semper capite cernebant, & cujus effigiem tam religiose servare curarunt. Optime Bonarrotius (a). „ *Specialmente la Chiesa* „ *Romana ebbe particolar mira di mantenere le vere immagini* „ *di tuttedue i Principi degli Apostoli, e ce ne danno una cer-* „ *ta riprova le antiche pitture ed i Mosaici, nella maggior* „ *parte de' quali si vedono tempo per tempo fedelmente osser-* „ *vate le loro stesse fisonomie. Da queste immagini con tanta av-* „ *vedutezza e così fedelmente custodite si può credere che* „ *Niceforo Callisto abbia preso in gran parte la minuta e dili-* „ *gente descrizione, che ei fa de i due Santi Apostoli* „. His adde Petrum Antiochensem qui XI. sæculo ad Michaelem Cerularium scribens ajebat, se Constantinopoli sacras imagines Roma allatas observasse, quæ cum ipsarum autographis optime congruebant (b). En quanta religiositate præstaret Romana Ecclesia in SS. imaginibus adservandis. Restat adhuc in Vaticanæ Basilicæ Sacrario insignis vetustissima Tabula, in qua SS. Apostolorum Petri & Pauli Protomæ apparent. Eas Nicolai I. vel Hadriani II. tempore depictas fuisse, testatus est mihi doctissi-

(a) Buonarr. *Osservaz. a' vetri Cemeter. pag. 75.*

(b) Apud Cotelerium *Eccles. Græc. Monum. T. II. p. 159.*

ctissimus Præsul Josephus Simon Assemannus ejusdem Basilicæ Canonicus, & Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, qui prædictas Apostolorum Imagines doctissime illustravit in Commentario insignis Kalendarii Græco-Moschi in eadem Bibliotheca asservati, quod magno Litterarum bono propediem in lucem est prolaturus. Eorum autem Capita prorsus nuda apparent & barbata, prout in ceteris aliis Monumentis observantur. Hujusmodi plures vetustæ imagines extant in Basilica Vaticana, & præsertim in ipsius Cryptis, aliisve locis & Basilicis hujus Urbis, quas hic longius referre non juvat. Quod si igitur aliis quibusdam ornamentis S.Petri imago decorata fuit, id quidem evenisse concedo, vel sæculo XIV. & subsequentibus, vel antea etiam, sed in locis ab Urbe valde dissitis, velut Corbejæ aut alibi, ubi nulla de vera S. Apostoli effigie servanda religio fuisset: Nequaquam tamen id factum arbitror sæc. VIII. IX. & X. in Romana Ecclesia, ubi tanta religione ipsius etiam vultus lineamenta, totiusque corporis habitus firma perpetuaque traditione retinebatur. Quotquot enim S. Petri picturæ, musiva vel Signa vetustiora Romæ asservantur, eundem omnes nudo capite repræsentant; ideoque, donec certiora argumenta proferantur, nequaquam mihi persuaserim, S. Petrum cum Mitræ ornamento, a Sergio Pontifice in Nummis suis, effictum fuisse.

VII. Nec meo quidem judicio absurdum plane esset, si quædam hujusmodi Nummorum Protomæ nonnunquam Pontificum etiam vultum repræsentarent, sed S.Petri nomine vel insignibus decoratum, utpote qui ejusdem Apostoli vices personamque sustinerent; non secus ac Ethnicis Romanis Imperatoribus consuetum fuerat, ut Signa & imagines suas Dei alicujus habitu vultuque decorarent. Singularis est sane hoc in genere Stephani Papæ

pæ II. epiſtola, in qua quum a Pipino, Carolo, & Carolomanno auxilium contra violentos Longobardorum impetus peteret, S. Petri perſonam induens, ita præfatur *Petrus vocatus Apoſtolus &c. ..... & per me omnis Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia &c. ..... vobis excellentiſſimis Pipino, Carolo &c. ...... Ideoque ego Apoſtolus Dei Petrus qui vos adoptivos habeo filios ad defendendum de manibus adverſariorum hanc Romanam Civitatem &c.* (*a*). Simili loquendi modo uſum fuiſſe video S. Theodorum Studitam, qui Paſchalem I. alloquutus, eum ita compellat: *Janitor Regni Cælorum, Petra Fidei, ſuper quam ædificata eſt Catholica Eccleſia. Petrus enim tu, Petri ſedem gubernans & exornans ...... Tibi dixit Chriſtus Deus noſter, Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos* (*b*).

VIII. Ceterum ne conjecturis nimium indulgeamus, hæ locum habere poſſunt ubi aliis certioribus deſtituamur argumentis. Nam ſi Clavium veſtigium hiſce imaginibus additum appareat, libentius ad ipſum Apoſtolorum Principem imagines eaſdem referrem, quum certò affirmare non auſim, hoc peculiare S. Petri Inſigne propriis etiam imaginibus accommodatum a Romanis Pontificib. fuiſſe. Itaque Protomas quæ in Nummis Joannis VIII. (*c*), Formoſi (*d*), & Joannis IX. (*e*) conſpiciuntur, S. Petro tribuendas eſſe cenſerem, propter quoddam Clavium veſtigium quod in iis videre videor, dummodo chalcographus rudia Numiſmatum lineamenta recte expreſſerit. De Clavibus S. Petro attributis qui plura deſiderat, conferat eruditiſſimos Jo: Ciampinium (*f*), Nicolaum

(*a*) Cod. Carolin. *n.* I. *T.* III. *Script. Rer. Franc. Du-Cheſnii*.

(*b*) S. Theodorus Studita *lib.* 2. *epiſt.* 12. Extat inter Sirmondi Opera *Tom.* V. Alia hujuſmodi exempla conſulenda ſunt apud Theoph. Raynaudam *in Corona Aurea Romani Pontif. Operum T.* X. *p.* 91.

(*c*) Vignolius *loc. cit. pag.* 44.

(*d*) Idem *pag.* 52.

(*e*) Idem *pag.* 56.

(*f*) *Vet. Monum. Par. I. cap.* 28. & *de Ædificiis Conſtantini tab.* 24.

laum Alemannum (*a*), Jo: Mabillonium (*b*), & Petrum Franciſcum Fogginium (*c*).

Has porro Claves fortaſſe repræſentari exiſtimo in Nummo hactenus inedito Sergii PP. quem damus in Tabula noſtra *num.* 5. Viſitur ibi oblongum ſceptrum, in cujus ſummitate ex una parte littera E adjungitur, ex altera R quædam inverſa. Duplici quidem luſu ibi delectatum fuiſſe monetarium arbitror, ut & Claves S. Petri deſignaret, & ejuſdem quoque nomen quodam quaſi monogrammate in iis exprimeret. Hoc equidem cuique Nummum ipſum intuenti manifeſtum eſt; quum præſertim ex alia parte littera *S* appareat quæ *Sancti* titulum clare indicat,& *P* quæ initialis eſt nominis *Petri*; reliqua autem illius elementa in ſummitate ſceptri addita fuere nempe E, R, & T, quod cum utroque implicatur. Quod autem & Claves hoc eodem ſigno repræſententur, non injuria ſuſpicor. In quodam enim Remigiano Codice, quem Jo: Mabillonius [circa A.1703. ſcribens] 800. annorum eſſe judicavit, exhibetur S. Petrus ſolito Apoſtolico pallio indutus, nudoque capite, tres Claves dextera geſtans, quæ ita comparatæ ſunt, ut una litteræ E inverſæ formam præſeferat, altera ſit quaſi Γ quoddam Græcum altero crure brevius, & adnexam habens R; media vero Clavis, quæ ceteris duabus præeminet, T figuram referat (*d*). Ecquis igitur hiſce Clavibus *Petri* nomen a Pictore implicitum fuiſſe, clare non intellexerit? In Nummo tamen Sergii una tantum eſſe videtur Clavis, vel uno ſaltem manubrio formata. Id fortaſſe artificis imperitiæ, & loci anguſtiæ tribuendum. Sed neque hoc inſolens eſt, ut cum unica Clavi S. Petrus repræſentetur. Ita enim viſitur tum in antiquiſſimo Muſivo S. Agathæ

in

(*a*) Alemann. *de Lateranen. Pariet. cap.* 9.

(*b*) Mabillon. *Annal. Benedictin. L.*16. *num.*91.

(*c*) Foggini *de Itinere S. Petri pag.* 471.

(*d*) Mabillon. *loc. cit.*

in Suburra quod a Fl. Ricimero circa A. 471. constructum fuit, tum in aliis monumentis apud Alemannum & Ciampinium *(a)*, sed præcipue in Musivo Oratorii S.Venantii a Joanne IV. circa medium sæculum VII. constructo, ubi S. Petrus unica Clavi donatur, quæ *Dolabram* [ut nostri vocant] ex utraque parte adjunctam habet. Ita etiam in alia parte Triclinii Leoniani unam tantum Clavim S. Petrus tenet *(b)*. Inter cetera etiam pretiosissima Cimelia Musei Collegii Romani Soc. Jesu, quæ pro sua humanitate doctissimus vir, & in omni Antiquitatis studio peritissimus Rev. P. Contuccius eidem Museo Præfectus mihi communicavit, vetustam S.Petri imaginem in lamina ærea encausto obducta observavi, in qua S.Apostolus una tantum Clavi insignitus conspicitur, quemadmodum etiam exhibetur in quodam antiquo Vitro Musei Capponiani in eodem Romano Collegio exsistentis & num. II. hujus Capitis laudato, in cujus medio apparet Christus Dominus Nimbo crucigero insignitus; ad illius dexteram Protome viri barbati unicam Clavim humero sustinentis, cum litteris *S.PETRVS*; ad lævam similis Protome, sed calva fronte ensem erectum dextra tenens, cum inscript. *S. PAVLVS*. Ac ut demum ex nostris Pontificiis Nummis aliud aliquod proferam exemplum, cum unica Clavi ad modum litteræ F efformata repræsentatur idem Apostolorum Princeps in Denario Agapiti II. apud Vignolium *(c)*.

IX. Non parum etiam conduceret ad veram S. Petri effigiem dignoscendam, præter vultus lineamenta, ipsa etiam *Barba*, si tanta Nummorum nostrorum ruditas non esset. Barbatum quidem S. Apostolum in omnibus fere imaginibus repræsentatum fuisse jam supra in-

(a) Alemann. *de Lateranen. Pariet. pag.* 61. & 68. Ciampini *Vet. Monum. P.I. cap.* 18.

(b) Ciampin. *Vet.Monum. Tom.I. tab.* XXXI. & XLI.

(c) Vignol. *Antiq. Rom. Pont. Denarii pag.* 71.

innuimus (*a*). Conſulantur quotquot imagines ibi laudavimus. In Nummis etiam Joannis VIII. (*b*), Agapiti II. (*c*) aliiſve hujuſmodi quædam *Barbæ* veſtigia apparere non male quis ſuſpicari poſſet, cui ego, in tanta Nummorum deformitate & Monetariorum imperitia, nec aſſentiri nec contradicere auderem. Hoc autem conceſſo, vero quidem ſimile redderetur argumentum, ut S.Petrum ab imaginibus Romanorum Pontificum, qui IX. & X. ſæculo floruerunt, ex *Barba* diſcerneremus. Siquidem Romanus Clerus, adeoque & Pontifices Barbam eo tempore minime geſtabant. Scimus hanc a Græcis Schiſmaticis calumniam IX. ſæculo, tum Romanæ, tum univerſæ Eccleſiæ illatam fuiſſe, quod *Barbam raderet* (*d*), quibus etſi reſponderit Ratramnus Corbejenſis non ubique hanc conſuetudinem eadem forma obtinuiſſe, ſatis tamen arguit in Romana præcipue Eccleſia id uſurpatum fuiſſe (*e*). Ideoque S. Petrus Damianus ſcribebat: *Eccleſiarum plane Rectores tanto vertiginis quotidie rotantur impulſu, ut eos a Sæcularibus BARBIRASIUM QUIDEM DIVIDAT, ſed actio non diſcernat* (*f*). Et de S. Gregorio VII. traditur in Collectanea Cardin. de Aragonia, ipſum ſexaginta Manſionarios Vaticanæ Baſilicæ ejeciſſe, qui erant *Cives Romani uxorati ſeu concubinarii, barba raſi, & Mitrati, aſſerentes ſe Cardinales Presbyteros eſſe* (*g*). Quam Barbæ raſuram vetuſtiſſima traditione Romanam Eccleſiam tenuiſſe teſtatur idem S. Gregorius VII. his verbis: *Quemadmo-*

R

(*a*) Huc cap. *num. 4. & 5.*

(*b*) Vignol. *loc. cit. pag.44.*

(*c*) Idem *loc. cit. pag.71.*

(*d*) Frodoardus *in Hiſt. Remenſ. lib.3. cap.17. Succenſentes etiam nobis, quia Clerici apud nos barbas ſuas radunt &c.* Idem arguit etiam ſæculo XI. Cerularius, uti ex ejus epiſtola apud Baron. *ad A. 1054. n. 33.* Et confirmat Petrus Epiſcopus Antioch. *ibidem n. 41. Romani quidem Barbam radentes &c.*

(*e*) Ratramn. Corbejen. *lib.4. cap.5. in Spicileg. &c. Dacherii T. 11.*

(*f*) S. Petr. Damian. *epiſt.15. lib.1.*

(*g*) *Script. Rer. Ital. T. III. pag.313.* & apud Baron. *A. 1084. n. 9.* & in *Actis SS. Maji d.25. pag.153.*

admodum totius Occidentalis Ecclesiæ Clerus ab ipsis Fidei Christianæ primordiis barbam radendi morem tenuit &c. (a), qui tamen mos nequaquam a tam remota origine est derivandus. Quo errore, ipso VIII. sæculo, non caruit Ratramnus Corbejensis, qui ut Schismaticorum dicteriis satisfaceret, ipsum radendæ barbæ morem ad Apostolos & Christi discipulos retulit, laudans & S. Petri imagines, quæ suo ævo *tali schemate pictorum arte formabantur*. quod tamen Romæ, ubi major conservandæ veræ imaginis Principis Apostolorum religio viguit, nequaquam iis sæculis factum fuit, ut omnes vetustæ ipsius imagines quæ hodieque supersunt clare evincunt. Hactenus de more Barbam radendi apud Romanum Clerum. Plura qui volet consulat Chamillardum in lib. *de Corona, Tonsura, & habitu Clericorum*, & eruditissimum Muratorium *T.* II. *pag.* 302. *Antiqu. Ital. Med. Ævi*.

X. Denique nec silentio prætereundæ Cruces quædam oblongæ, quibus laudatæ Protomæ in quibusdam Nummis Pontificiis insignitæ conspiciuntur, nempe in Nummis Joannis VIII. *(b)*, & Agapiti II. *(c)*. Non equidem inficior has referri posse ad Cruces pectorales vel alias quaslibet Romanorum Pontificum, de quibus eruditissime egit Jo. Dominicus Georgius *(d)*, vel ad Christiani Principatus symbolum, vel ad quandam Orientalium Impp. imitationem, qui hujusmodi oblongas Cruces manu gestantes in Nummis & Signis effingebantur *(e)*: Sed eas potius S. Petro tribuendas esse existimo, siquidem ejus imagines ita efformatas sæpe fuisse constat. Duces præcipue sequor doctiss. viros Jo. Bottarium *(f)*, & Pe-

(a) *In Regesto Epistol. lib.* 8. *Epist.* 10. *Concil. T.* XI. *Ed. Paris.*

(b) Vignolius *loc. cit. pag.* 44.

(c) Idem *pag.* 71.

(d) *De Liturg. Rom. Pont. T.* I. *l.* 1. *c.* 13.

(e) Cangius *in Constantinopoli Christ. & Famil. Byzantin.* Buonarruoti *Osserv. a' Vetri Cemeter. p.* 252.

(f) Bottari *Sculture della Roma Sotterranea. T.* I. *p.* 94. & *alibi.* Fogginius *de Romano Itin. D. Petri, Exercitat.* XX. *pag.* 479.

& Petrum Franciscum Fogginium, qui Crucem sæpissime S. Petro in antiquis monumentis esse tributam pluribus demonstrarunt. In iis enim duo Apostolorum Principes frequentissime occurrunt, quorum alter qui a sinistris Jesu Christi collocatur Crucem vel bajulat, vel a Christo Domino recipit (a). Aringhius in iis interpretandis nonnunquam mente confusus est, quum modo S. Paulo, modo autem S. Petro eas imagines referendas esse duxerit; sed oris habitus, capillitii forma S. Petrum egregie demonstrant; quum è contra S. Paulus a calvitie capitis bene dignoscatur, qua insignem eum fuisse tradit vetus Philopatridis Auctor inter Luciani Dialogos insertus. Negare tamen minime ausim Crucem S. Paulo nonnunquam etiam tribui, uti præsertim in antiquo Veronensi sepulcro (b), sicuti & SS. Laurentio & Vincentio (c) Martyribus, & meo quidem judicio in Martyrii signum, data fuit. Sed nos, quod ut plurimum fiebat, consectamur. Sæculis enim rudibus Crucem S. Petro tribui præcipue consuevisse testantur, tum Ecclesiæ S. Laurentii (d), tum Lateranensis Triclinii (e), tum Oratorii S. Venantii (f), tum sepulcri Ottonis II. Imp. (g) Musiva, ut prætercam, & præstantissimum Mediceæ Bibliothecæ Syriacum Novi Testamenti Codicem (h), aliaque plura quæ longum esset hic recensere. Atque optime quidem S. Petro convenire potest Crucis Insigne, qua nempe Martyrii palmam gloriose adeptus est. Ideoque Protomæ quæ

 in

(a) Ibidem *tab.* XXI. XXII. *usque ad* XXV, & *tab.* XXVIII, *tab.* L. In sola tabula XVI. S. Petrus exhibetur ad lexteram Christi, qui Crucem ei, prabentis in modum, ostendit.

(b) Maffei *Verona Illustr. par.* 3. *cap.* 3.

(c) Buonarruoti *Osservaz. a' Vetri Cemeteriali p.* 67. & 68.

(d) Ciampin. *Vet. Monum. T.* II. *tab.* XXVIII.

(e) Idem *loc. cit. tab.* XL. XLI.

(f) Idem *loc. cit. tab.* XXXI.

(g) Apud Alemann. *de Later. Pariet. pag* 88.

(h) Cod. I. Syriac. Evangel. exsaratus Ann. 586. Æræ Christianæ. *Tab.* XXIV. apud clar. Evodium Assemannum Archiepiscopum Apamensem in Catalogo Biblioth. Mediceæ.

in laudatis Pontificiis Nummis Cruce ad humeros admota exhibentur, [habita frequentiora consuetudinis ratione, qua eandem S. Petro artifices libenter tribuebant], eidem Apostolorum Principi non improbabiliter referendæ videntur.

Ex his igitur omnibus colligi potest, Protomas quæ in Pontificiis Nummis occurrunt, non omnes S. Petro temere esse tribuendas, sed gravi admodum judicio, cauteque agendum esse, ut & alia argumenta, de quibus satis fuse jam diximus, diligenter exquirantur, eaque sedulo examine perpendantur, ut ad propositi Nummi interpretationem accommodentur. S. Petri quidem Imagines in quibusdam Nummis certò repræsentantur. Sed alias ipsis etiam Romanis Pontificibus nonnunquam tribui posse non injuria suspicor, veluti præsertim in Nummis Sergii III. aut ubi Pontificali Pallio vel Mitra decorantur. Propriam imaginem gestasse novimus in suis Bullis Joannem VIII., qui ab A. 872 ad A. 882. Pontificalem obtinuit Cathedram. In fine enim cujusdam Privilegii, quod die 24 Aug. A. 878 concessit, hæc a Scriniario addita leguntur: *Leo humilis Scriniarius & Notarius S.R.E. cum jussione Reverendissimi Domni Johannis Papæ scripsi & aliis roborandum protuli, & ut est sigillatum sigillo plumbeo magno impresso habente imaginem Sanctissimi Papæ Johannis cum litteris infrascripti similibus, videlicet* JOHANNES PAPA (a). Nec in Bullis tantum, sed & in publicis Operibus, in Monumentis, in Donariis, aliisve hujusmodi rebus Romani Pontifices propriam imaginem ad æternam memoriam repræsentari curabant. Ita enim factum est in tot Musivis, quæ ad ætatem nostram pervenerunt, & sæpe etiam in Picturis, Tabulis, & Vestibus: quod Leonem IV. præcipue præstitisse declarat libri Pontificalis

(a) Apud Ughellium *T. I. Italia Sacra in Episcopis Papiensibus*.

lis Auctor (a). Nullus igitur dubito, quin iidem Pontifices qui in Musivis, Picturis, Tabulis, Vestibus, Bullis aliisve hujusmodi proprium nomen & imaginem apponere solebant, eandem aliquando & in suis etiam Nummis insculpi voluerint.

XI. Quibus ita firmatis ad illustrationem adversæ partis propositi Nummi a Benedicto III. percussi transeamus. Singulares litteræ R O. manu quadam dextera interfecatæ, in eo conspiciuntur, quibus Romæ percussam fuisse monetam intelligimus. Hæc porro non peculiaris Romanorum Pontificum consuetudo fuit, sed ceteris aliis Principibus, & Nationibus communis. Indicem Civitatum, in quibus nota cusæ monetæ in Orientalium Impp. Nummis apparet, adornavit cl. Cangius (b); post quem argumentum idem fusius illustrarunt Jo. Harduinus, & Anselmus Bandurius. Officinæ vero monetariæ seu Civitatis nomen plerumque per Siglas signabatur, ut MD pro *Mediolani*, RV pro *Ravennæ*, RM pro *Romæ*. Ita porro signantur Nummi duo Hadriani I. quorum alter a Floravante (c), alter a nobis primum in lucem profertur, quem damus in Tab. nostra *num.* 1. In aliis vero modò legitur explicite ROMA (d), vel Græcanice ROMH (e), modo in Monogrammate (f), cujus peculiarem præ ceteris formam præseferunt Nummus Stephani PP. apud Vignolium (g), & alius Joannis PP. sub Ottone Imp., quem damus *num.* 14. Tab. nostræ. In duobus vero Benedicti III. per singulares litteras *Romæ* nomen exprimitur. In altero enim legitur *BeNEDi-*

ctus

(a) Liber Pontifical. in Leone IV. *sect.* 505, 506, 526, 528, 536, 542, & 543.

(b) Du-Cange *in Dissert. de Inferioris Ævi Numismatibus n.* XLVI. & LII.

(c) *Antiq. Rom. Pont. Denarii pag.* 1.

(d) *Loc. cit. pag.* 23, 40, 52, 62, 64, 65, 79, 83.

(e) In Nummo Formosi apud Vignol. *pag.* 52.

(f) *Loc. cit. pag.* 19, 24, 40, 42, 44, 47, 48, 50, 52, 59, 73, 79, 83.

(g) In Nummo qui Stephano V. tribuitur *pag.* 50. *n.* 2.

ctus Roma, in altero RO. manu quadam intermedia. Hos Nummos primus edidit Le-Blancus (*a*), qui postremum ita interpretatus est, ut litteræ RO signo illo seu manu divisæ Romam denotarent; & ita quoque existimarunt Pagius (*b*), & Vignolius (*c*). Sed contra sentit splendidissimum Italiæ nostræ ornamentum, Hludovicus Antonius Muratorius, qui in eximio suo Opere Antiquitatum Italicarum medii ævi hæc ait: *Manus effigiata conspicitur cum litteris RO, quas si litteris Manum componentibus adjungas habebis RO-MANVS, idest IMPERATOR ROMANVS. Vide qualibus ingenii lusibus tunc Roma delectaretur. Sed & nos vidimus superiorem ætatem, hoc est sæculum decimum septimum, ejusmodi nugis deditum* (*d*). Ego vero malim ingenue fateri, me prorsus nescire quidnam significet Manus in Nummo illo apposita, quam rationes hujusmodi promere. Quod si ibi *Imp. ROmanus* intelligi debet, id utique contra morem, receptamque dicendi formulam factum fuisset. Patricii enim & Imperatores tum in vetustis Scriptoribus tum in Monumentis, his præsertim sæculis, *Imperatores Romanorum* in secundo casu appellari consueverunt, minime autem *Romani Imp.*; unde etiam in Nummo Leonis IX. Henricus IMP. ROMANORU. inscribitur (*e*). Quapropter quum in Titulis, Nummis, aliisque publicis Monumentis solemnes Imperatoriæ Dignitatis formulæ plerumque servari soleant, nullo modo in Benedicti Nummo Hludovicus ita *Imp. Romanus*, sed ex usitato loquendi more *Imp. Romanorum* indicatus esse videtur; ideoque Manus in Nummo illo apposita ad aliquid aliud meo quidem judicio est referenda: nec litte-

ræ

(*a*) Leblanc. *Dissertat. historique sur quelques mennoyes &c. frappées a Rome &c pag.107. pr. ed.*

(*b*) *Critic. Baron. ad A. 875. nn.*

(*c*) *Loc. cit. pag. 17.*

(*d*) *Tom. II. pag. 549.*

(*e*) Apud Vignol. *pag. 93.*

ræ *RO* aliud ſignificare videntur, quam *ROmæ* cuſam monetam fuiſſe.

XII. Modo, ut pro hujus Manus explicatione nonnulla proferamus, animadvertendum primò eſt præter S. Petri vel Pontificis Protomen, de qua hactenus egimus, vel præter ipſius Imperatoris figuram quæ in Nummis Leonis (*a*) & Joannis Papæ (*b*), & alterius Joannis quem in Tab. noſtra *num.* 12 evulgavimus apparet, quædam etiam ſymbola in Pontificiis Nummis fuiſſe nonnunquam ſignata, quæ peculiarem aliquam ſignificationem eo tempore omnibus notam haberent.

Florem conſpicimus in Nummo Joannis PP., quem ad ritum *aureæ Roſæ* a Romano Pontifice benedicendæ traxit Vignolius (*c*); quem tamen ſi mavis ad Chriſtum ipſum *Florem ex virga Jeſſe* a Tertulliano appellatum, vel ad dona Spiritus Sancti, quæ in Flore deſignantur (*d*), vel ad aliquos Pentecoſtes ritus (*e*), vel ad hujuſmodi aliud nobis nunc incompertum referri poteſt, vel denique ad fauſtum & felix aliquod eventum indicandum, quum Florum proſeminatio in Feſtis & publicis votis & Principum celebritatibus, ab antiquiſſimo tempore præcipue adhibita fuerit (*f*).

Ædificium quoddam conſpicitur in adverſa parte Nummi Nicolai I. (*g*), quod duobus Arcubus ſeu Portis inſignitur, eoque Urbem Romam, vel S. Petri Baſilicam deſignari ſcribit Vignolius. Sed nullibi apparet, quod frons Templi Vaticani duo tantum oſtia habuerit (*h*); ideoque

(*a*) Apud Vignol. *pag.* 79.

(*b*) Ibidem *pag.* 73.

(*c*) Ibidem *pag.* 67. Incompertum tamen habemus, an hic ritus ſæculo IX, & X, adhuc cœpiſſet.

(*d*) Buonarruoti *Oſſervaz. a' Vetri Cemeteriali &c. pag.* 103.

(*e*) Vid. Cangius *in Gloſſ. v. Paſcha roſatum*.

(*f*) Bottari *Oſſerv. alla Roma Sotterranea T. I. pag.* 167. De Florum & Roſæ Symbolis plura Theoph. Raynaudus *in Roſa mediana Oper. T.* x. *pag.* 405. 423. & paſſim.

(*g*) Vignol. *pag.* 40.

(*h*) Ex deſcriptione Petri Manlii apparet, Porticum exteriorem hujus Baſilicæ tres

eoque Romam potius ibi repræſentatam fuiſſe ſuſpicor ſub figura Portæ Urbis, quæ ſæpe pro totius Civitatis ſymbolo uſurpari ſolebat. Duplices enim quandoque fuiſſe Arcus in Urbium Portis, velut in eo Nummo viſitur, luculentiſſime jam demonſtravit doctiſſimus Marchio Scipio Maffejus (a); quin & plures Urbis Romæ Portas tales fuiſſe nuper exiſtimavit cl. P. Joſephus Blanchinius Congregat. Oratorii Presbyter; Id quod præſertim patet de Nævia nunc *Majori* (b), & de Portuenſi vetere (c). quibus Flaminiam & Oſtienſem addit cl. Auctor (d). Fortaſſe tamen non Urbis Portam, ſed Aquæductum a ſe inſtauratum eo in Nummo inſculpi fecit Nicolaus; ſiquidem ipſe *Formam aquæ, quæ vocatur Tocia* (e), *at vero jam per evoluta annorum ſpatia nimis confractam exiſtentem, per quam decurrebat aqua per centenarium in Urbem Romanam, a fundamentis ad fabricandum atque reſtaurandum eadem forma præparavit* (f).

Crucem quoque, præclarum noſtræ Salutis monumentum in Pontificiis Nummis conſpicimus, quam ubique præferre ſolebant priſci Eccleſiæ Fideles, quibus nil erat antiquius quam gloriari in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut *num.*VII. ſuperioris Capitis jam innuimus. Carolus Calvus in Piſtenſi conventu A. 864 præcepit, *ut in Denariis novæ noſtræ monetæ ex una parte nomen noſtrum*

habea-

tres Portas habuiſſe, & ingreſſum in ipſam Baſilicam per quinque portas patuiſſe, quarum *Mediana* dicebatur quæ media illarum erat, eamque argento obduxiſſe legimus Honorium I., & Leonem IV. Conſulend. Ciampin. *de Sacr. Ædific. Tab.*xI.& xII. *p.*37, 85. *&c.*

(a) *Verona Illuſtrata Par.*III.*pag.*71.

(b) *Delle Magnificenze di Roma antica e moderna lib. I. che contiene le Porte e Mura di Roma, colle ſpiegazioni del P. Giuſeppe Bianchini. Roma* 1747. *pag.* xxxII.

(c) Ibidem *pag.* xxvII. & apud Nardinum *Roma antica lib.*I. *cap.*9.

(d) Ibidem *pag.*v. & xxxII.

(e) Alibi *Avia*. Sed Baronius legi mavult *Accia* [*in Annal. ad A.* 860.*n.*33.] Codex Vatican. apud Georgium [*in Var. Lect. Anaſtaſii ad calcem T.* xv. *pag.* 616. *Annal. Baron Ed. Lucenſ.*] legit *Jocia*. fortaſſe *Jopia*, quæ memoratur ab Anonymo apud Mabillon. *Analect. T.*Iv.*p.* 502.

(f) Lib. Pontificalis *in Nicolao I. ſect.* 584.

habeatur in gyrum, & in medio nostri nominis monogramma: ex altera vero parte nomen Civitatis, & in medio CRUX habeatur (a), velut omnes pene Francici Nummi apparent (b), quem morem in Nummis Septentrionalium populorum (c), & Italicarum Civitatum (d) obſervatum ſæpe cognoſcimus; quod & Orientales Imperatores antea præſtiterant. Hujuſmodi quoque Crux in medio Nummo ſignata apparet in Denariis Hadriani I. (e), de quibus iterum erit dicendi locus (f).

In aliis Nummis conſpicitur Imperator ipſe ſtans, veſte gemmata ad talos uſque demiſſa, coronato capite, gladium dextra erigens, lævaque manu haſtæ incumbens (g). Quæ aliaque hujuſmodi ſymbola in Nummis Pontificiis peculiari aliqua ratione & veluti arcana ſignificatione, expreſſa fuiſſe apparet; ideoque ipſam quoque *Manum* quam in Nummo Benedicti III. conſpicimus, haud otioſe ſignatam fuiſſe exiſtimo. Similis *Dextera* elata & protenſa habetur in Nummo Joannis Pontificis (h) ſub Ottone Imp., in cujus gyro SCS. PETRUS inſcribitur; ubi profecto ad hujuſmodi Inſcriptionem nequaquam Manus illa in medio Nummo inſculpta eſt referenda, quemadmodum de Nummo Benedicti III. ſuſpicatus eſt cl. Muratorius, ſed ad indicandum ſymbolum aliquod nobis fortaſſe incompertum appoſita videtur. Aliæ *Manus* nonnunquam etiam exhibentur in Nummis Septentrionalium populorum apud Hickeſium. Unam tamen præcipue obſervavi in argenteo Nummo, hacte-

S nus

(a) *Cap.* II. apud Baluzium *Capitular. Reg. Franc. T.* II. *pag.* 178.

(b) Apud Leblancum *Traité historique des Monnoyes de France &c.*

(c) Apud Georgium Hickeſium *in Theſauro Linguarum Septentrionalium T.* III.

(d) Apud Muratorium *in Antiq. Ital. med. ævi Tom.* II.

(e) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 1. & *in Tabula nostra num. I.*

(f) *In ad* [illegible] *ad Tabulam nostram ad calcem Operis.*

(g) In Nummis apud Vignol. *loc. cit. pag.* 19. & *in Tabula nostra num.* 12.

(h) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 80.

nus quod ſciam inedito, penes Reverendum P. Gregorium Pignattium jam ſupra laudatum *(a)*, cujus Typum, eo quod præ nimia vetuſtate valde detritum appareat, ſupervacaneum ducimus hic exhibere. Ex altera tamen illius parte non obſcure dignoſcitur Ædificium quoddam pluribus columnis ſuffultum & faſtigio ornatum, qualia obſervari poſſunt in Francorum Nummis a Leblanco editis, quo nimirum vel Templum vel Urbs aliqua deſignari videtur *(b)*; ex altera vero parte Dextera quædam in cælum erecta effingitur, eo modo quo in prædictis Nummis Benedicti & Joannis Romanorum Pontificum apparet. Ex Inſcriptione vero quæ in gyro utriuſque partis ſignata fuerat, nil aliud me legere potuiſſe videor, quam ST. PP. vel SI. PP. Simile aliud hujuſmodi ſymbolum in faſtigio Eccleſiæ Hersfeldenſis poſitum fuit, ubi ærea Dextera inaurata, & ad cælum erecta prominet *(c)*; Ac denique in pavimento principis Eccleſiæ inſignis Monaſterii Fuldenſis marmoreus quidam orbis inſurgit, in cujus extrema ora ad quatuor ſibi invicem adverſas plagas plumbo confixæ fuerunt quatuor æreæ Dexteræ expanſæ [annulari tamen & auriculari digito ſupra volam inclinatis] & ad centrum orbis illius porrectæ *(d)*.

XIII. Ut autem non ſolum Monumenta, quæ Dexteræ manus ſymbolum præſeferunt, hic recenſeamus, ſed etiam quid hujuſmodi ſigno ſignificari poſſit, aliqua ſaltem conjectura aſſequamur, animadvertendum primo eſt, *Manum* a veteribus ſæpenumero pro poteſtate vel auctoritate aliquid faciendi, fuiſſe uſurpatam *(e)*, utpote quæ præcipua corporearum actionum miniſtra exiſtat. Unde

(a) In Præfatione *pag.* 11.
(b) Leblancus *loc. cit. p.* 92. *& ſeqq.*
(c) Browerus *in Antiqu. Fuld. l.* 2 *c.* 17.
(d) Apud eundem Browerum *loc. cit.*
(e) Pompon. *lib.* 2. §. 1. *D. de Origine Juris. Omnia manu a Regibus gubernabantur*. Vid. Barnab. Briſſonius *de Verb. Signific. v. Manus*.

Unde ex hoc fortasse *in manum mariti* uxores convenire dicebantur, & Servos libertate donatos *manumissos*, nempe *de manu & potestate* herili *missos*, fuisse appellatos monet Ulpianus (*a*). Quum vero summus rerum omnium principatus & auctoritas penes solum Deum sita sit, metaphorice per *Manus* appellationem ipse Deus, ejusque potentia, virtus, & auxilium intelligebatur. Ait enim S. Cyrillus Alexandrinus, quod *semper in Divinis Scripturis Manus signum est operis, & recte factorum* (*b*). Quam significationem forte respexisse Religiosos viros insignis Ordinis Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, liquet ex eorum antiquo sigillo, in cujus altera parte Dextera quædam elata conspicitur in benedicentis modum, annulari & auriculari digito inclinatis, cum inscriptione IN DOMINATIONE MANUS SCHE (*c*). Idem expressum arbitror in sepulcrali Monumento Simonis de Slitese [qui XII. sæculo vivebat], quod indicatum jam a Browero (*d*), cl. Schannatus (*e*) graphice delineatum in lucem protulit. Ibi enim insculpta est Dextera manus è nubibus prolata, & supra Crucem quandam incumbens, cum inscriptione DEXTERA DOMINI FECIT VIRTUTEM, quæ ad præclara illius militis facinora Dei ope patrata, fortasse refertur. Longam hic veterum Marmorum, Musivorum, Nummorum, Codicumque seriem recensere possem, in quibus Manus e nubibus prodiens pro ipsius Dei figura repræsentatur: sed lectores libenter remitto ad clariss. viros Aringhium, Bonarrotium (*f*), & Bottarium (*g*), quorum hic luculentissi-

 mus

(*a*) Ulpianus *Leg. 4. ff. De Justitia & Jure.*

(*b*) *Lib. 3. Glaphyr. in Genes.*

(*c*) *Codice Diplomat. di Malta* del P. Sebastiano Paoli *T. I. tab. VII. n. 67.*

(*d*) Brower. *loc. cit.*

(*e*) Schannat. *in Tradition. Fuldens. pag. 376.*

(*f*) Buonarruoti *Osservaz. a' Vetri Cemeter. pag. 5.*

(*g*) Bottari *Osservaz. alla Roma Sotterranea T. I. pag. 40, 71, & 112.*

mus mihi testis est, non modo in antiquioribus Monumentis symbolum hujusmodi reperiri, sed & in infima etiam sæcula derivatum fuisse. Præcipue tamen omnibus hisce symbolis designandis adhibebatur Dextera manus, quæ dignitate præstantior, & ad majorem actionem significandam aptior esse videtur. Hinc illud Crinagoræ Epigramma *(a)*, quo ajebat nullum Romæ periculum imminere posse

ἄχρι κε μίμνῃ
Δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέη.
DEXTRA donec
Maneat Cæsari ad Imperium.

XIV. Quoniam vero supplicantium est Manus in altum tollere, ut opportunum hoc pacto sibi auxilium comparare studeant, hinc solemni ritu tum apud Ethnicos, tum apud Hebræos, tum apud Christianos, manibus sublatis preces Deo fundi, semper consuetum fuit *(b)*. Ideo Clemens Alexandrinus *(c)* in orationibus Manus in Cælum tolli testatur τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴρομεν; eoque gestu Vota etiam suscipiebantur, prout pluribus videre est apud eruditissimum Barnabam Brissonium *(d)*. Et quoniam Principum vel Magistratuum electio, quædam veluti Votorum nuncupatio est, in solemni illorum designatione *Dextera manus* elatio præcipue usurpabatur, ut hoc signo populi consensus & plausus quodammodo patefieret. Ita plane testatur Tzetzes sæc. XII. Scriptor *(e)*, his verbis *(f)*.

Tò

(a) *Epigrammat. Græcor. lib.* 1. *p.* 12. *Edit. Francof. A.* 1600.

(b) Suicerus *in Thes. Ecclesiast.* v. εὐχὴ n. VI. *litt.* b. Brissonius *de Formulis lib.* 1. *pag.* 44. *Edit. Paris.* 1583. Buonarruoti *Osservaz. a' Vetri Cemet. pag.* 120. & 121. Bottari *Osserv. alla Roma Sotterranea. Tom. I. pag.* 175. 180. 181.

(c) Stromatum *lib.* 7.

(d) Brisson. *loc. cit. pag.* 118.

(e) Fabric. *Biblioth. Græca T.* X. *lib.* V. *cap.* 42. *n.* 11I.

(f) *Chiliad.VIII. hist.* 231. *inter* Poetas Græcos veteres Lectii *p.* 404.

Τὸ παλαιὸν ἢ ϛρατηγὸν ἢ ἄλλον τῶν ὀρχόντων
Ἂν ἔμελλον ποιήσασθαι, τὸ ὄνομα ἐκάλυν.
Ἂν ἦν τῷ δήμῳ ἀρεϛὸς ἦν ὁ προβεβλημένος
ΗΡΩΝ οἱ πάντες ΔΕΞΙΑΣ τὰς ἑαυτῶν εἰς ὕψος,
Εὐθὺς τὸ προεβάλλετο εἰς τὴν ἀρχὴν ἐκεῖνος.
Τοῦτο τὸ ἔθος γίνωσκε τῆς πρὶν χειροτονίας.

Antiquitus vel Imperatorem vel alium ex Principibus
Quum vellent creare, nomen proclamant.
Quum igitur plebi placeret qui propositus erat,
TOLLEBANT omnes DEXTRAS suas in altum,
Statimque eligebatur in Magistratum ille.
Hunc morem scito veteris designationis.

Quid igitur si in Pontificiis Nummis jam supra indicatis sub illo *Dexteræ* elatæ & expansæ symbolo Pontificis vel Imperatoris designatio, vel preces votaque pro eorum salute & Principatu suscepta indicarentur?

XV. Ab orationibus vero & precibus, paullatim ad jurisjurandi quoque sacramentum translatum fuit manuum hujusmodi symbolum, quasi in sermonis vel rei promissæ testimonium Dii per gestum illud advocarentur; quod præcipue etiam designabatur manu tactis rebus quibusdam, vel etiam ipsius socii dextera apprehensa in solemne datæ fidei argumentum. Hinc perjuris *manus* amputabatur (*a*), hinc *fidelitas per Manum & Sacramentum* præstari dicebatur (*b*), & in Diplomate quodam Caroli Crassi memoratur *Obligatio Hominii, Juramenti, seu Fidei per manum datæ* (*c*). Immo non tantum quis propria manu jurare contentus erat, sed alios etiam sui sacramenti consortes ac veluti fidejussores exhibebat, quod *Manu septi-*

(*a*) *Capitularia Reg. Franc.* Steph. Baluzii *T. I.* passim.

(*b*) Ivo Carnoten. *epistola* 190. ubi vidend. Juretus *in not.* (*c*) Juretus *loc. cit.*

ſeptima, *duodecima* aliiſque hujuſmodi jurare dicebatur; (*a*) formula in libris Capitularium, Feudorum, & in veteribus membranis frequentiſſima, cujus conceptio præcipue obſervari poteſt apud Sirmondum (*b*). Quod vero dicitur, Servos *manum mortuam* habere hoc pacto explicari voluit Cironius (*c*), eo quod nempe dato ſacramento ſe ad operas obſequia atque certos cenſus Dominis ſuis obſtrinxerant;ex quo morem illum in Belgium manaſſe arbitratur, ut quum Dominus ex defuncti Servi hereditate nihil jure herili capere potuiſſet, *manum* ex ejus cadavere in præſtitæ ſervitutis ſignum abſcinderet (*d*). Ceterum quod Dexteræ in Cælum elatio pro ſacramento haberetur diſcimus ex celebri illo Deuteronomii loco (*e*), in quo Dominus ita a Moyſe loquens inducitur: *Levabo ad cælum manum meam, & dicam, Vivo ego in æternum*, ubi LXX. Interpretes ita vertunt ὅτι ἀρῶ εἰς τὸν οὐρανὸν τὴν χεῖρά μου, καὶ ὀμοῦμαι τὴν δεξιάν μου, καὶ ἐρῶ, Ζῶ ἐγὼ εἰς τὸν αἰῶνα. *Quoniam levabo in Cælum manum meam, & jurabo dextera mea, & dicam, Vivo ego in æternum*. Et Geneſeos v.22. Cap.XIV. *Levo manum meam ad Dominum Deum altiſſimum &c.* ἐκτενῶ τὴν χεῖρά μου πρὸς Κύριον τὸν θεὸν τὸν ὕψιστον &c. Eundem jurandi ritum apprime expreſſit in Latini Regis perſona Virgilius his verbis (*f*)

> *Suſpiciens Cælum TENDIT AD SIDERA DEXTRAM;*
> *Hæc eadem [Ænea] terram, mare, ſidera JURO,*
> *Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,*
> *Vimque*

(*a*) Hier. Bignonius *in not. ad Marculfi Formul. lib. I. cap.* 38. Pithœus *in Gloſſar. ad Capitularia T.* II. *pag.* 728. *Capitularium* Baluzii.

(*b*) *Capitular. T.* II. *p.*485.

(*c*) Cironius *in Obſervat. Jur. Canon. lib.*2. *cap.*10. Cangius *in Gloſſario v. Manus mortua*.

(*d*) Ex Chronico Belgico *ad A.*1123. *& append. ad* Marianum *cap.*28.

(*e*) Deuteron. *cap.* 32. *v.* 40.

Vimque Deum infernam, & d iri sacraria Ditis.
Audiat hæc Genitor, qui fœdera fulmine sancit.

Nec hujusce moris exempla desunt in infimis etiam sæculis, si fidem adhibemus cl. Browero afferenti, quod quatuor illæ æreæ manus in pavimento Ecclesiæ Fuldensis appositæ, & *num.* XIII. superius memoratæ, nihil aliud ex veteri traditione designent, quam sacramenta in illius Ecclesiæ defensionem & obsequium præstita a Provinciis Thuringiæ, Wederaviæ, Saxoniæ, & Bajoariæ. Et quæ in fastigio Hersfeldensis Ecclesiæ erecta Manus conspicitur, eodem Browero teste, tanquam symbolum susceptæ a Hludovico & Hlothario Impp. Ecclesiæ illius tutelæ, communi suffragio judicatur.

XVI. Hæc fere habuimus, quæ ad propositi symboli Nummorum Benedicti III., & Joannis Romanorum Pontificum illustrationem pertinere videbantur. Cuilibet autem liberum erit quod melius sibi videbitur probare, ut, vel Principalem auctoritatem, vel Dei opem, vel suscepta vota, vel Principum designationem, vel præsertim sacramentum aliquod, eo symbolo in prædictis Nummis repræsentari intelligat.

Quid vero sub sacramenti nomine venire possit, nunc paullo fusius est a nobis explicandum. Aliud enim erat jusjurandum seu *Fidelitas* quæ Pontifici præstabatur a Populo Romano & ab Imperatore, aliud quod Imperatori a Pontifice Populoque Romano. De priori locum habemus penes Benedicti III. Biographum, qui notas illas Benedicti nostri calamitates exaggerans, quibus in ipso Pontificatus exordio improborum astu vexatus fuerat, Nicolaum Episcopum Anagninum, Mercurium, Gregorium, & Christophorum Magistros militum perjurii reos facit, quod *Fidelitatis sacramentum quod fecerant almifico Benedicto parvipendentes*

dentes, obliviſcenteſque, electo damnato [Anaſtaſio] *ſe conjunxerunt a , beatique* [Benedicti] *fidelitatem declinaverunt jam fati (b)*. Hæc eſt enim *fidelitas* quam Populus Romanus in Summi Pontificis electione præſtabat, quæ vel aliqua peculiari formula concipiebatur, vel in Electi ſalutatione, aut in ipſa ſubſcriptione quam univerſi *Proceres* Decreto electionis faciebant, contineri videbatur. Ita quando Leo VIII. Pſeudo-Pontifex iterum fuit a Populo Romano in Urbem & Apoſtolicam Sedem ſuſceptus, ſolemne ſacramentum ſuper B. Petri corpus a Romanis recepit, teſtantibus Petro Bibliothecario in vita Joann. XII. apud Papebrochium, Chronographo Farfenſi, & Auctore Pontificii Catalogi, quem ex Codice Caſanatenſi ſupra laudavimus, cujus excerpta dabimus in noſtra Appendice Monumentorum. Imperatorum autem devotio ſeu *Fidelitas* erga Romanam Eccleſiam ex ipſiuſmet Dignitatis officio deſcendit, utpote quæ ad tuendam Eccleſiam erat unice inſtituta. Patriciatus etiam collatio, in cujus locum Imperiale nomen ſucceſſit, non niſi certis conditionibus & pactis ab utraque parte ſervandis, haudquaquam fiebat, ut ſupra ratiocinabamur *(c)*. Ideoque Carolus Magnus Leoni III. ſcribebat, quod „ ſicut cum Beatiſſimo prædeceſſore veſtræ ſanctæ Paternitatis pactum inii, ſic cum Beatitudine veſtra ejuſdem „ fidei & charitatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero: „ quatenus ſanctiſſimæ Romanæ Eccleſiæ ſedes Deo donante, noſtra ſemper devotione defendatur. Noſtrum „ eſt ſecundum auxilium Divinæ pietatis, ſanctam ubique „ Chriſti Eccleſiam ab incurſu Paganorum, & ab Infidelium devaſtatione armis defendere foris, & intus Catholicæ Fidei agnitione munire *(d)*. „

Solemne

(a) Lib. Pontific. in Bened. III. *ſect.* 559.
(b) Ibidem *ſect.* 558.
(c) In Propylæo *ad Act. SS. Maji p.* 160.
(d) *Cap.* IV. *num.* 2. & 4.
(e) Concil. *Tom.* VIII. *pag.* 1128. *Edit. Pariſ.*

Solemne jurisjurandi sacramentum quo Otto Magnus, antequam Imperiali corona a Joanne XII. redimiretur, S. Petro & Romanæ Ecclesiæ sese obligavit, Decreto suo inseruit Gratianus (*a*). Eandem formulam [quibusdam tantum mutatis] legi in Casanatensi sæpe laudato Codice, quam in nostra Appendice dabimus, ut inde appareat, qua fide Imperatores Romanæ Ecclesiæ se obstringi non dubitarent. Alia hujusmodi formula exstat in Ordine Romano Jacobi Cardinalis Gaetani (*b*).

XVII. Aliud etiam sacramentum Imperatori a Romano Populo præstabatur. Et de eo Theganus, ubi de Stephano IV., *qui statim post quam Pontificatum suscepit, jussit omnem Populum Romanum Fidelitatem cum Juramento promittere Ludewico* (*c*). Contigit autem sub Sergio II. quod, quum Hludovicus Hlotharii Imperatoris filius Italici Regni coronam suscepturus Romam advenisset, a nonnullis Teutonicis qui cum eo erant peteretur, ut Romani eidem Regi *Fidelitatem* præstarent; sed *hoc prudentissimus Pontifex* [Sergius] *nequaquam concessit, sed sic illis orsus est: Quia si vultis Domno Lothario magno Imperatori sacramentum ut faciant, solummodo consentio atque permitto. Nam Ludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego nec omnis Romanorum Nobilitas consentit. Tunc demum tam beatissimus Pontifex, quam magnus Rex, & omnes Archiepiscopi & Episcopi, stantibus reliquis sacerdotibus & Romanorum ac Francorum Optimatibus Fidelitatem Lothario magno Imp. semper Aug. promiserunt* (*d*). Hujusmodi *Fidelitatem* & Carolomanno, & Ottoni I. Romanos præbuisse legimus, traditque Eutropius presbyter supra laudatus

T *Pro-*

(*a*) *Dist.63. cap.3.* Tibi Domino.

(*b*) Apud Mabillon. *Musei Italici T.2I. pag. 398.* Vide & doctissimi Josephi Catalani *Commentaria in Pontificale Roman. tit.20. §. 4. T. I. pag.379.*

(*c*) Theganus *cap.16 de Gest. Ludovici Pii*. Apud Du-Chesn *Hist. Franc. Script. T. II. pag. 278.*

(*d*) Liber Pontificalis in Sergio II. *sect.487.*

Proceres Romanorum, & omne vulgus pariter cum his (a) eandem *Fidelitatem* & Carolo Magno, & Hludovico Pio, & Hlothario Auggg. promisisse (b). Et hoc plane sensu Romanos Imperatoribus suis *Fideles* sæpe sæpius se compellasse legimus. Hujusmodi Fidelitatis formula quæ Arnulpho Imperatori A. 894 a Populo Romano præstita fuit, legitur in continuatione Fuldensium Annalium ad A. 895 (c) his verbis: *Juro &c. quod salvo honore & Lege mea atque Fidelitate Domni Formosi Papæ, fidelis sum & ero omnibus diebus vitæ meæ Arnulpho Imperatori &c.* Quod autem hoc *Fidelitatis* nomine præcipua quædam Advocatiæ jura continerentur, quæ Imperatoribus Romani Pontifices *ultro obtulerant*, pluribus exsequitur strenuus Apostolicæ Sedis vindex Justus Fontaninius (d). Præcipue tamen versabatur hujusmodi *Advocatia* & *Fidelitas* circa electionem Pontificis, quam Canonice se facturos Romani promittebant, & circa ejus consecrationem sine Imperatoris consensu nullatenus peragendam, prout statuit Eugenius II. (e), qui & formulam sacramenti quod Imperatori a Romano Clero erat præstandum ipse dictavit. A qua consuetudine minime recessit Leo IV., ut pluribus videre est apud Pagium (*f*). Immo idem cautum fuit ab Ottone Imp. qui in Diplomate die 13. Febr.

(a) Vide supra *cap.* IV. *num.* 4.

(b) Apud Goldast *T. I. pag.* 8. *Monarchia*.

(c) Apud Duchesn. *Hist. Franc. Script. T.* II. *pag* 582.

(d) *Difesa I. di Comacchio pag.* 361. 363. 369.

(e) Hoc est *juramentum* quod Romano Clero *ipsemet Eugenius PP. facere imperavit*. Promitto ego Ill. &c. quod ab hac die *Fidelis ero* Dominis nostris Impp. &c. *salva fide quam repromisi Domno Apostolico*, & quod non consentiam ut aliter in hac Sede Romana fiat electio Pontificis nisi canonice &c. *Et ille qui electus fuerit*, me consentiente, consecratus Pontifex non fiat, priusquam *tale sacramentum faciat* in præsentia Missi Domni Imp. & populi, *cum juramento* quali Dominus Eugenius PP. *sponte pro conservatione omnium factum, habet perscriptum.* Ex *suppl. ad Hist. Langob.* Paulli Diac. Et confirmatur ex Diplom. Ottonis I. & Henrici I. apud Baron. *A.* 962. *num.* 8. & *A.* 1014. *n.* 7. Pagius in Eugenio II. *num.* 4.

(*f*) Pagius *in Critic. Baron. ad A.* 847 *n.* 8. & *seqq.*

13 Febr. A. 962 Romanæ Ecclesiæ concesso, decrevit: *Ut omnis Clerus, & universa populi Romani Nobilitas, propter diversas necessitates Pontificum, irrationabiles erga Populum sibi subjectum asperitates retundendas, Sacramento se obligent, quatenus futura Pontificum electio canonice & juste fiat, & ille qui ad hoc sanctum Apostolicum Ministerium eligitur, nemine consentiente consecratus fiat Pontifex, prinsquam talem in præsentia Missorum nostrorum vel filii nostri seu universæ generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione, qualem Dominus & venerandus spiritualis Pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur*: quod iisdem ferme verbis confirmavit Henricus I. in alio Diplomate Romanæ Ecclesiæ concesso (a). Hinc autem apparet, quod non tantum Populus, sed & electus Pontifex tali sacramento fidelitatis erga Imperatorem se obligarent. Id optime declarat Synodus Romana sub Joanne IX. coacta, ubi decernitur, ut *nullus sine periculo juramentum vel promissiones aliquas nova adinventione ab* [electo Pontifice] *audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne Ecclesia scandalizetur, vel Imperatoris munificentia minuatur* (b); ideoque in Pseudo-Synodo Lateranensi, præ ceteris quæ Benedicto V. PP. obiecta fuere, hæc commemorat Liutprandus dicta fuisse: *Num inficiari potes præsenti Domino Imperatori juramento promisisse, nunquam te cum ceteris Romanis Papam electurum aut ordinaturum absque illius filiique sui Regis Ottonis consensu* (c)? Quod intelligendum videtur de juramento, quod fortasse præstiterat in electione Leonis VIII. Pseudo-Pontificis A. 963. celebrata.

Nihil igitur obstat, quominus sub illius *Manus* symbolo, quod in Nummis Benedicti III. & Joannis Romm.

 Pon-

(a) Baron. *ad A.*1014. *num.*7.
(b) Can. x. *Conc. T.*xi. *p.*703. *Ed.Ven.*
(c) Liutprand. *Histor. lib.*6. *c.* 1.

Pontificum conſpicimus, ſacramentum aliquod Fidelitatis deſignari arbitremur, quod Populus Romanus Pontifici aut Imperatori, vel Imperator & Pontifex ſibi invicem aut Romano Populo præſtiterint.

XVIII. Quoad Nummum vero Joannis PP., alia etiam peculiaris ratio adeſſe poterat, ut Manus in illo pro ſacramenti ſymbolo effingeretur. Si enim Joanni xII. Nummus tribuatur, tunc ad juramentum per quod Ottoni Magno promiſit ſe nunquam Adelberto & Berengario fauturum, referri etiam poterit (a). Cl. autem Vignolius in ea fuit ſententia ut Nummus prædictus a Joanne xIII. potius cuſus fuerit; quod ego plane incertum judico. Tres enim tantum habemus Nummos Joannis Pontificis & Ottonis Imp. nominibus inſignitos: In eorum altero viſitur Imperatoris Protome cum inſcriptione *OTTO IMPERATO.* ex alia parte *DOM. JOANES PAPA* (b). In alio Manus expanſa cum inſcriptione *SCS. PETRVS*. in poſtica *DOM. JOHA. PAPA. OTTO* (c). In tertio quem nunc evulgamus *n.* 14. Tabulæ noſtræ ex una parte legitur *SCS. PETRVS*, ex alia *JOHS PAPA OTTO*. Primum Nummum Vignolius Joanni xII. & Ottoni I. aſſignavit, alterum Joanni xIII. & Ottoni II.; ſed meo quidem judicio, nulla penitus ratione: nam & aliis Pontificibus, qui Joannis nomen prætulerunt ſub tribus Ottonibus, æque tribui poſſunt. Suſpicatur tamen Vignolius in poſteriori Nummo Ottonem II. deſignari, eo quod ejus nomen ſine titulo

(a) Regino in Chron. ad A. 953. ,, Papa ,, [Joannes] multa illum [Ottonem] ſecum ,, charitate detinuit, & diebus vitæ ſuæ ,, nunquam ab eo ſe defecturum promiſit: *Liutprandus Ticinen. Hiſt. lib. 6. cap. 6.* ,, Interea præfatus Papa juramenti & pro- ,, miſſionis oblitus quam fecerat pio Impe- ,, ratori, ad Adelbertum ut ſe adeat mittit ,, jurejurando ei affirmans, ſe illum contra ,, ſanctiſſimi Imperatoris potentiam adjuturum ,,.

(b) Vignol. *loc. cit. pag.* 73.

(c) Idem *loc. cit. pag.* 80.

tulo Imperatoris ibi legatur, forte *quia Patre vivente, vel ob reverentiam, vel quia ad Imperii consortium non fuer at adscitus, saltem in Actis publicis Imperatoris titulum non usurparit*. Sed ego hisce argumentis haudquaquam satisfactos iri viros doctos arbitror. Primò enim non est Vignolio concedendum, Ottonem II. ad verum Imperii consortium adscitum non fuisse. Refert enim Hildesheimense Chronicon, ipsum a Joanne XIII. *Augustalem benedictionem* recepisse, *ut Imp. Augustus foret appellatus a cunctis qui eum agnovissent, veluti Pater ejus*: proindeque nihil frequentius in Actis publicis & in ipsius met Ottonis Magni Diplomatibus occurrit, quam amborum Impp. nomina. Deinde caussa, ob quam IMP. titulus in eo Nummo non apparet, est loci angustia, quæ trium Litterarum elementa capere non valebat. Nec diffitetur quidem Vignolius, Nummum Leonis VIII. Pseudo-Pontificis sub Ottone Magno fuisse percussum; attamen in eo legimus *LEONI PAP. OTTO* (a) nullo addito *IMP.* titulo, sicut & in alio Benedicti Papæ *SCS PETRVS OTTO*, & in alio Joannis quod in nostra Tab. *num.* 14. exhibetur *JOHS PAPA OTTO*. In nonnullis etiam Italicarum Civitatum Nummis, quæ Monetæ cudendæ privilegium ab Ottone Imp. obtinuerant, nudum Principis nomen legitur nullo addito *IMP.* titulo (k). Quamobrem nulla suppetit ratio, cujus caussa Nummus ille Joannis Pontificis, in quo Manus expansa & erecta exhibetur, Ottoni II. potius quam I. vel III. tribuatur, ideoque nec Joanni XIII. tutò assignari poterit, sed alteri cuilibet, qui Apostolicam Cathedram Ottonibus imperantibus tenuerit.

Hæc omnia fusiori forsan oratione persequuti sumus,

(a) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 27.
(d) Idem *pag.* 83.
(c) Apud Muratorium *Antiqu. Italic. med. ævi T.* 1I. *Dissert.* XXVII.

mus, ut ceteros etiam Benedicti III. Nummos in tanti Pontificis memoriam pro virili parte illustraremus, quidve sentiendum tum de Protome, tum de Manu erecta & expansa, quæ in medio illius Nummo conspiciuntur, sententiam nostram explanaremus.

CAMEVM ANVLARE ANTIQVVM ALBI ET NIGRI COLORIS

Quod exstat Romæ in Museo Victorio.



Gemmæ ⊢⊣ antiquæ magnitudo.

ADMO-

ADMONITIO

IN TABULAM SEQUENTEM.

PRO totius Operis coronide visum est hoc loco subjicere Tabulam Nummorum, quos in nostra Dissertatione præcipue laudavimus, & quibus ad illustrationem propositi argumenti maxime usi sumus. Eo autem potissimum consilio ad illos evulgandos animum adjecimus, quod magna ex parte in lucem nondum prodiissent. Horum copiam mihi præbuerunt ex Museo Xaverii Scyllæ, doctissimi æque ac humanissimi viri Josephus Simon Assemannus, Joannes Bottarius, & Petrus Franciscus Fogginius Vaticanæ Bibliothecæ Præfecti, ubi Museum prædictum servatur. Quum enim Xaverius Scylla natione Messanensis, mirifico harum rerum amore captus, amplissimam omnium quotquot hactenus collectæ fuerint Nummorum Pontificiorum supellectilem, ab Hadriano I. ad Clementem XII. perductam, sibi comparasset, eo vita functo deperdita aut distracta penitus fuisset, nisi solertissima diligentia Eminentissimi Cardinalis Dominici Passionei, cui quantum debeat Litteraria Respublica nemo ignorat, hisce Cimeliis prudentissime providisset. Is enim, ut est plane ad fovendas Litteras natus, ad BENEDICTUM XIV. P. M., bonarum artium cultorem optimum, rem omnem retulit: qui pro ea qua pollet munificentia in omnia præsertim Antiquitatis Monumenta Museum prædictum in Vaticana Bibliotheca ad æternam memoriam, & Apostolicæ Sedis ornamentum collocari præcepit; cui pro hoc illustri beneficio innumerisque aliis gratias habent universi Rei Antiquariæ amatores. Summum enim ejus studium

erga

erga vetera Monumenta præcipue enitet, dum Lateranensis Triclinii & Oratorii S. Nicolai memoriam restituit, Vaticanam Bibliothecam nova Carpinei Musei & Otthobonianæ jam Altempsianæ Bibliothecæ accessione locupletavit, Obeliscum Deo Soli ab Augusto in Campo Martio dicatum è terræ visceribus eruit, & Capitolinum denique Museum [immortale Clementis XII. Opus] adeo ampliavit, ut Signorum excellentia, & Inscriptionum raritate, cetera omnia totius Orbis longe superaverit.

I. Sed ut ad subjectæ Tabulæ explicationem veniamus, primo loco in ea repræsentavimus Nummum rarissimum Hadriani I., ubi Pontificalis Protome conspicitur Clericali Corona insignita, media inter litteras I B, cum Inscriptione HADRIANUS PAP.: In adversa parte Crux litteras R M intersecans cum Inscriptione VICTOR.X. DNN, in Exergo CONOB. Simillimus est hic Nummus alteri ejusdem Hadriani per Benedictum Floravantem jam edito *(a)* paucis tantum exceptis. Ambo autem Græcanicum artificium & formam redolent. Quum enim Romani nulla alia ad eam usque ætatem moneta usi fuissent quam Imperiali, tunc quum nova a Pontificibus jam Principatum adeptis cudi cœpit, nil proclivius fuit quam illius rationem & formam plane imitari; eo tum maxime, quod Græcis Artificibus Romani præcipue uterentur; ex quo factum est, ut figuræ quæ in pluribus Musivis aliisve Monumentis adhuc conspiciuntur, Græcanico sæpe habitu & forma repræsentatæ fuerint *(b)*. Proindeque Crux in nostro Nummo exhibetur, quæ frequentissime etiam in Orientalium Impp.

(a) *Antiquior. Rom. Pontif. Denarii* Jo. Vignolii, additis curis Bened. Floravantis. *Romæ* 1724. *pag.* 1.

(b) Georgius Vasarius *Vite de' Pittori*. *Tom. I. pag.* 122. Ciampini *Vet. Monum. Par.* I. *pag.* 84. & *Par.* II. *pag.* 161. *&c.* Videndus Leo Ostiensis *Chronici Casinen. lib.* 3. *cap.* 29. *&c.*

Impp. Nummis occurrit cum inſcriptione VICTORIA AUGUSTORUM &c. eo quod ipſi omnes ſuas Victorias ſalutaris Signi virtuti adſcriberent; Conſtantini Magni exemplum ſequuti, qui Cruce in Cœlo viſa cum litteris ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, eaque in Labaris & Signis militaribus inſcripta, omnes feliciter hoſtes ſuperavit, & pacem ac tranquillitatem Romano Imperio reſtituit. Quapropter propriam continuò ſtatuam in gratiarum actionem Romæ in celebri loco dedicari præcepit, addita eidem haſta formam Crucis præſeferente cum Inſcriptione: *Hoc ſalutari Signo, vero fortitudinis indicio Civitatem* [Romanam] *Tyrannidis jugo liberavi, & S.P.Q.R. in libertatem vindicans, priſtinæ amplitudini & ſplendori reſtitui* (a). Ex quo deinde pientiſſimi Imperatores Crucem in ſuis Nummis ſæpiſſime ſignari voluerunt, & hiſce aliiſve hujuſmodi titulis ornarunt: *GLORIA ROMANORVM, GLORIA EXERCITVS, REST. REIP., BONO REIP., SALVS MVNDI, LVX MVNDI, VIRT. PRINC., VICTORIA AVG. &c.* In Francorum & Italicorum Nummis ſæpe etiam Typus Crucis conſpicitur, vel in Nummi area, vel in ædicula aut Templo quodam incluſa cum inſcriptione *CHRISTIANA RELIGIO* (b), & a Carolo Calvo jam ſancitum fuerat, ut in *Denariis* ſuæ *Monetæ* Crux ſemper inſculperetur (c). Summa enim religione hujuſmodi Nummi habebantur, quemadmodum S. Genovefæ Pariſienſis exemplum declarat, quæ *Nummum æreum titulo Crucis inſignem, quem Dominus Autiſiodorenſis Germanus in ſignum Sponſalitiorum cum Chriſto loco arrharum collo ejus ſuſpenderat, omnibus prapoſuit deliciis, omnibus divitiis antegeſſit* (d). Exſtant præterea Nummi Grimoal-

V di

(a) Euſebius *in vita Conſtantini lib.*1. *cap.*33.

(b) Apud Leblancum *Traité hiſtorique des Monnoyes de France pag.* 92. 100. & *ſeqq.*

(c) Vide ſupra *num.* 12. *cap.* 5.

(d) Steph. Tornacenſis *piſt.* 161. Idem confirmat vetus Auctor vitæ S. Genovefæ.

di Principis Beneventani, in quibus Crux conſpicitur cum litteris S. R. vel S. C., vel S. R. VIC., quas cl. Muratorius optime interpretatur *Salus Regni*, *Salus Chriſtianorum*, & *Sacræ Religionis VICtoria* (*a*), & in Nummo Neapolitano S. T. *Salutis Trophæum* (*b*). Simili quoque ratione Hadriani I. Nummos cuſos fuiſſe arbitror, ut nempe Inſcriptio illa VICTORIA DNN in Nummo Floravantis expreſſa, ad Crucem & ad Chriſtum ipſum ſit referenda, non ad Imperatores, veluti Urbis Dominos, quemadmodum arbitratus eſt cl. Muratorius (*c*). Hic enim quem nunc evulgamus Hadriani Nummus rem plane in aperto ponit, quum in eo clare legatur VICTOR X DNN, hoc eſt *Victoria Chriſti Domini Noſtri*, X nempe Græca adhibita tanquam initiali nominis Chriſti Domini (*d*); unde in celebri Numiſmate Criſpi Cæſaris Chriſtus ipſe repræſentatur cum Inſcriptione SALUS ET SPES X REIP. (*e*).

Benedictus Floravantes duplicem litteram N per errorem in Nummo ipſo ſignatam fuiſſe arbitratur. Quum tamen nulla ibi interpunctio appareat, eas litteras com node ſic diſtingui poſſe exiſtimo, ut *VICTORiam Xriſti DomiNi Noſtri* deſignent, more ſat frequenti ut *Domni* vel *Domini* titulus per litteras DN ſignificaretur. Aliqua nonnunquam ſphalmata in Nummis inferioris ævi reperiri haud nego, quum præſertim defunctorum jam Imperatorum Typos novi monetarii non ſemel retinerent, prout in Nummis Baduilæ & Tejæ Oſtrogothorum Regum eveniſſe obſervat Jo. Georgius Eckhartus (*f*). Idem fortaſſe contigit quoque in Siglis illis CONOB,

quæ

(*a*) *Antiq. Ital. med. ævi Tom.* II. *pag.* 618.

(*b*) Ibidem *pag.* 621.

(*c*) Muratorius *loc. cit. pag.* 548.

(*d*) Conſul. cl. Eques Franciſcus Victorius *Nummus æreus veter. Chriſtian. Par.* II. *cap.* 11. (*e*) Vide ſupra *pag.* 118.

(*f*) *De Nummis ſub Theoderico percuſſis*. Eos Nummos refert etiam Bandurius. *T.* II. *pag.* 612.

quæ in nostris Nummis Hadriani I. nonnullisque aliis argenteis inferioris ævi leguntur; eæ siquidem pro *CO*N-*flata OBryzo moneta* indicanda a doctissimis viris interpretantur (*a*); quod nequaquam argenteis Nummis convenire potest, nisi ad hanc monetariorum incuriam confugiamus. Alium quoque Nummum argenteum tertiæ formæ, sed aliqua tantum sui parte auro commixtum cum litteris COMOB me olim observasse memini in præclarissimo Museo Hannibalis Oliverii Patritii Pisaurensis, viri Rerum Antiquarum peritissimi, cujus & eruditionem & amicitiam summopere colo & observo. Similemque auro & argento mixtum Justini Imp. Nummum cum Siglis CONOB. exhibet Bandurius (*b*).

De litteris RM consulantur quæ supra *num.* XI. *Capitis* V. innuimus.

Siglas I B pro Anno Pontificatus XII. Græca ratione designato interpretatur Floravantes. Eædem litteræ observari possunt in quibusdam Justiniani Nummis apud Bandurium (*c*), quos velut Alexandriæ cusos cl. Cangius pro S. Joannis Baptistæ nomine indicando, in cujus honorem Princeps Ecclesia dedicata erat, ita signatos fuisse credidit (*d*). Justinianus certe ad Annos Imperii designandos Latinis Notis numeralibus utebatur, non Græcis elementis.

2. Sequitur altera pars Nummi Leonis IV. a Vignolio jam edita (*e*), sed ad Archetypi fidem haud exacte. Ibi enim potius *IOannes PAPA* legendum videretur.

3. Nummus est Sergii II. ineditus cum Inscriptione SCS PETRUS, & in medio ipsius SERGii nomen, litte-

V 2

(*a*) Vaillant *pag.* 360. *T. I. Memoires de l' Accad. Royale des Bell. Lettr. a la Haye*. Josephus Baro de Elmard *pag.*182. *T.* III. *Saggi di Dissertazioni dell' Accademia di Cortona*.

(*b*) *Numism. T.* II. *pag.*626.

(*c*) *To*[illegible]II. *pag.*641. & 642.

(*d*) Cangius *in Dissert. de infer. ævi Numism. num.*50.

(*e*) *Pag.*35.

litteris rudi artificio formatis, velut ea sæcula ferebant. In Italicis (*a*), Francicis (*b*), & Septentrionalibus (*c*) Nummis hujusmodi characteres varie deformati nonnunquam apparent. Ex alia parte legitur in gyro HLOTHARIUS IMP. & in medio solitum Monogramma PIUS. Hunc porro Nummum supra memoravimus *pag*. 109.

4. 5. In quarto Nummum legimus SCS PETRUS. ROMA: In altera parte SERGII. PA. cum Protome quadam. Quintus habet S. Petri imaginem quam supra explicavimus *num*.VIII. *cap*.V. cum litteris S.PETR. In altera parte ROMA, in medio SERG. Ambo igitur spectant ad Sergium Papam, & fortasse ad hujus nominis *Tertium*; siquidem *Secundus* eo vixit tempore, quo major vigebat Pontificum erga Imperatores observantia, proindeque eorum nomen in Nummis suis inscribi non negligebatur. Hæc tamen Imperialis nominis Inscriptio ex sola Pontificum voluntate pendebat, ut præter ea quæ *num*. II. *& seqq. cap*. IV. adduximus, optime declarant hi duo Sergii PP. Nummi, in quorum nullo Imperatoris nomen legitur. Quod si ad Sergium II. referantur, ille sub Hlothario Imp., si ad III., hic sub Hludovico III. Pontificalem Cathedram tenuit. Ideoque nullus eorum excusari poterat a signando in suis Nummis Imperatoris nomine, si jure Imperii & in argumentum supremæ Imperialis in Urbem potestatis insculpi debuisset, ut Adversarii contendunt.

6. 7. Nummos sextum & septimum Benedicti III. jam fusius commentati sumus toto superiore *cap*.V.

8. 9. Nummus ad Hadrianum II. pertinent, in quibus peculiarem sui Monogrammatis formam habemus, & ab

(*a*) Apud Murator. *loc. cit. Differt.*
(*b*) Apud Leblancum *loc. cit.*
(*c*) Apud Hickesium *in Thes. Lingu. Septentr. T.* III.

& ab edito (*a*) alio diversam. In octavo legitur .... ICUS MP. & in medio ROMA. Ex alia parte SCS. PETRUS, cum ipsius Hadriani Monogrammate. In altero item Nummo *num.9* legitur LUDOWICUS MP. ex alia parte SCS. PETRUS: In medio litteræ ADRIAN simul implicitæ. Hos Nummos supra memoravimus *pag.* 115.

10. Nummus est Joannis VIII., peculiarem sui Monogrammatis formam exhibens ex implicitis J.O.H.A. N.E.S. litteris constans: in gyro SCS PETRUS. Ex altera parte LUDOWICUS IMP. in medio ROMA. Vide quæ supra diximus *pag.*115.

11. Lamberti Imperatoris nomen præsefert cum inscriptione ... ANTUERT: in medio visitur Monogramma Joannis IX. Papæ JOHANNES, eadem forma qua & a Joanne VIII. usurpatum fuit. In adversa parte adest Pontificalis Protome cum litteris SCS PETRU. Hunc Nummum jam a Vignolio, Floravante (*b*) & Muratorio (*c*) editum, exactissime ex Autographo Scyllano hic delineari curavimus.

12. Nummus ad Joannem aliquem Pontificem spectare videtur; siquidem in Monogrammate hæ tantum litteræ apparent I.O. P.A. nempe *Joannes Papa*: in gyro SCS. PETRUS. In adversa autem parte exhibetur Imperialis figura, veste gemmata, coronam in capite gestans, gladium dextra erigens, & læva manu hastæ innixa. Quisnam Imperator hoc Typo designari possit divinare non libet, quum ab A. 872 usque ad 1033 duodecim Pontifices *Joannis* nomine sub diversis Imperatoribus Romanam rexerint Ecclesiam. Alium Nummum edidit Leblancus Romæ cusum, in quo *Caroli* Imp. figura exhibetur, simili veste gemmata, & ad talos usque demissa

(*a*) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 42. (*b*) *Loc. cit. pag.* 56.
(*c*) *Loc. cit. pag.* 550.

demissa, gladio, hasta, & corona insignis *(a)*. Carolum Magnum ibi repræsentatum fuisse existimavit, sed quo fundamento, prorsus me nescire fateor: quin immo eam talaris Vestis formam quæ in prædicto Nummo conspicitur, Caroli Magni imaginibus minime convenire arbitror. In Musivis Triclinii Lateranensis & Ecclesiæ S. Susannæ Chlamyde [quæ vestis est lævum humerum tegens, & supra dextrum infibulata, ejus brachio inde exerto] induitur, quam *Pallium quadrangulum* vocat Monachus Sangallensis *(b)*. Hac eadem veste ornatum conspicimus Hlotharium Imperatorem, & Carolum Calvum Regem Francorum in quorundam Codicum Picturis a Baluzio editis *(c)*, eandemque gestasse etiam Hludovicum Pium scribit Theganus his verbis: *Nihil* [in Festis solemnioribus] *præter camisiam & feminalia nisi cum auro texta, lembo aureo, baltheo præcinctus & ense auro fulgente, ocreas aureas, & CHLAMYDEM AVRO TEXTAM & Coronam auream auro fulgentem in capite gestans, & baculum aureum in manu tenens (d)*: Witickindus item de Conrado I. scribit: *sumptis his insignis LANCEA SACRA, armillis aureis, cum CHLAMYDE, & VETERVM GLADIO REGVM it ad Henricum (e)*. Primus Carolus Calvus decessorum suorum habitum mutavit. Refert enim Fuldensis Annalista, quod *Karolus Rex de Italia in Galliam rediens novos & insolitos habitus assumpsisse perhibetur. Nam TALARI DALMATICA indutus, & baltheo desuper accinctus pendente usque ad pedes, nec non capite involuto serico velamine ac diademate desuper imposito, Dominicis & festis diebus*

(a) Editus etiam fuit a Vignolio *loc. cit. pag.* 19 & a Muratorio *loc. cit. pag.* 548.

(b) *Lib.* 1. *cap.* 36. apud Du-Chesn. *hist. Franc. Script. T.* II. *pag.* 121.

(c) *Capitular. Reg. Francor. Tom.* II. *pag.* 1275. *&c.*

(d) Theganus *cap.* 19. *inter Script. Franc.* Du-Chesnil *T.* II. *pag.* 279. Idem confirmant Annales Metenses ad A. 837. *Ibidem pag.* 300.

(e) *Annal. lib.* 1. Exst. *in T. I. Script. German.* Meibomil.

bus ad Ecclesiam procedere solebat. Omnem enim consuetudinem Regum Francorum contemnens GRÆCAS GLORIAS optimas arbitrabatur (a). Et Græcorum quidem propriæ erant talares vestes, eæque gemmatæ, ut videre est apud Cangium in tabulis præfixis suæ Dissertationi *de inferioris ævi Numismatibus*. Fortasse in nostro & in Leblanci Nummo ipse Carolus Calvus repræsentatur, qui a Joanne VIII. P.M. Imperator factus est; quod tamen non affirmantis sed conjicientis & suspicantis in modum, a me dictum volo. *Hastam* vel *Lanceam* appello eam, cui in prædictis Nummis innixus exhibetur Imperator. Vignolius & Fontaninius *Vexillum* Romanæ Urbis eo signo repræsentari existimarunt (b), quod Imperatoribus in Patriciatus & Advocatiæ symbolum concedebant Romani Pontifices; (c) eamque ob caussam Imperatoris imagini in prædictis Nummis signatæ optime convenire videbatur. Attamen caret in iisdem solito velo in aera expanso & volitante, ut in Musivo Lateranensis Triclinii & alibi conspicitur, nisi & ejus omissionem monetariorum ruditati tribuere velimus. Sed meo quidem judicio aut Lanceæ aut Hastæ figuram præsefert, quarum utraque Francorum Regum ornamentum erat, velut ex adducto Witichindi loco, aliisque argumentis a cl. Cangio, & a Chronici Gotwicensis Auctore adductis, colligi potest (d).

Gladius inter Regalia & Imperialia simul Insignia numerabatur. Consulendi omnino sunt doctissimi Cangius, (e) Catalanus (f), & prædictus Chronici Gotwicensis Auctor (g). Paschasius in vita Walæ Corbejensis Hlotharium

(a) Annal. Fuldens. *ad A. 876.* apud Du-Chesnium *T. II. pag. 569.*

(b) Vignolius *loc. cit. pag.* 20. Fontaninius *Difesa II. di Comacchio pag. 54.*

(c) Cangius *Dissert.* XVIII. *Joinvillam*, & *in Glossar.* Catalanus *in Comment. ad Pont. Rom. T. II. tit.* 24.

(d) Cangius *in Glossario*. Chronicon Gotwicense *T. I. pag.* 108. *& seqq.*

(e) Cangius *in Glossario* v. Gladius Spatha. Ensis &c.

(f) Catalanus *in Pontifical. Roman.*

(g) Chronicon Gotwicense passim.

rium Imp. ita cum Hludovico ejus patre loquentem inducit: *coram S. Altare & coram S. corpore B. Petri Apostolorum Principis a summo Pontifice, vestro ex consensu & voluntate, honorem & nomen suscepi Imperialis officii, insuper diadema capitis & GLADIUM ad defensionem ipsius Ecclesiæ & Imperii vestri* (a). Sergius II. PP. Hludovicum Hlotharii filium in Regem Langobardorum coronans ei *REGALEM tribuens GLADIUM, illum subcingere jussit* (b).

13. Nummus ex una parte S. Petri nomen habet SCS PETRUS, in medio ROMA; ex altera BERNEGARIUS HP, & in medio *Joannis* Papæ X. Monogramma, qui A. 916 Berengarium Imperiali diademate coronavit. In alio etiam ejusdem Nummo apud Vignolium (c) BERNEGARIUS reperitur.

14. Nummus sub Joanne Papa & Ottone Imp. percussus altera sui parte S. Petri nomen exhibet SCS PETRUS, & in medio orbiculo ROA, quibus litteris Roma Urbs designatur, ut supra jam diximus *pag.* 133. Ex altera parte legitur JOHS PAPA OTTO. *Vide p.* 89. 148.


15. Nummus nullo Pontificis nomine, aut alio chronico charactere notatur; eo quod vel Sede vacante, vel absente Pontifice, vel a Romanis ipsis fuerit fortasse cusus. In antica ejus parte conspicuus quidam vultus apparet, an S. Petri vel potius Christi Domini celebrem aliquam ipsius Icona repræsentans, cum inscriptione SANCTUS PETRUS; in poetica binæ claves, Cruce intermedia cum eadem inscriptione SANCTUS PETRUS.

APPEN-

(a) *Lib.* II. *num.* XVII. *cap.* 3. apud Mabillon. *sec.* IV. *Bened. Par. I. pag.* 513. Quod Gladius Imperialis de corpore S. Petri sumeretur vide in Ordine Romano Jac. Cajetani apud Mabillon. *Mus. Ital.* T. 2. *pag.* 402. Bullarium Basil. Vaticanæ T. I. *pag.* 117. 250. 352. & 354.

(b) Lib. Pontifical. in Sergio II. *sect.* 486.

(c) Apud Vignol. *loc. cit. pag.* 65.


IOHS
PAPA
OTTO

APPENDIX

VETERUM MONUMENTORUM

Quæ in superiore Dissertatione præcipue laudantur.

I.

Catalogus ineditus Romanorum Pontificum sub Nicolao I. confectus, de quo supra pag. 54.

Ex Codice membranaceo IX. *sæculi insignis Biblioth. Vallicellanæ, signato litt. A. num. 5., formæ quadratæ, cui titulus:* HABETUR PRÆFATIO CRESCONII DE CONCORDIA CANONUM (*a*). ITEM CONCORDIA CANONUM CONCILIORUM INFRASCRIPTORUM ET PRÆSULUM ROMANORUM (*b*), IDEST CANONUM APOSTOLORUM, NICENORUM, ANCYRANORUM, NOVÆCÆSARIENSIUM, CANGRENSIUM, ANTIOCHENSIUM, LAODICENSIUM, CHALCEDONENSIUM, SARDICENSIUM, CARTHAGINENSIUM. ITEM PRÆSULUM SIRICII, INNOCENTII, ZOSIMI, CÆLESTINI, LEONIS, ET GELASII. EXPLICIT ANNOTATIO CANONUM SCORUM PATRUM. *pag.* 10.

IN NOMINE DOMINI

Incipiunt Nomina Episcoporum qui fuerunt in S. R. E. per ordinem.

I. DOmnus Petrus (*c*) sedit annos xxv. menses II. dies VIII.

II. Linus sedit annos xv. menses III. dies XII.

X III. Cle-

(*a*) Vide *Bibliothecam Juris Canonici Veteris* Guill. Voellii & Henrici Justelli *T. I. pag.* 146.

(*b*) Nempe Dionysii Exigui Collectio quæ exstat in ead. *Bibliotheca Juris Canon. T. I. pag.* 101.

(*c*) De *Domni* vel *Domini* titulo qui ipsis *Sanctis* tribuebatur plura Cangius in Glos-

III. Cletus ſedit annos XII. menſes I. dies XI.
IV. Clemens ſedit annos IX. menſes II. dies X.
V. Aneclitus annos XII. menſes X. dies VI.
VI. Evareſtus annos XIII. menſes VII. dies II.
VII. Alexander annos X. menſes VII. dies II.
VIII. Xyſtus annos X. menſes III. dies XXI.
IX. Teleſphor annos XI. menſes III. dies XXII.
X. Yginus annos IV. menſes III. dies VIII.
XI. (a) Anicitus annos IX. menſes III. dies III.
XII. Pius annos XI. menſes III. dies XXI.
XIII. Sother annos IX. menſes III.
XIV. Eleuther annos XV. menſes VI. dies V.
XV. Victor annos X. menſes II. dies X.
XVI. Zepherinus annos XVII. menſes II. dies X.
XVII. Calliſtus annos V. menſes II. dies X.
XVIII. Urbanus annos VIII. menſes XI. dies XII.
XIX. (b) Antheros menſe I. dies XV.
XX. Pontianus annos V. menſes II.
XXI. Favianus annos XIII. menſe I. dies X.
XXII. Cornelius annos III. dies X.
XXIII. Lucius annos III. menſes III. dies III.
XXIV. Stephanus annos IV. menſes II. dies XV.
XXV. Xyſtus annos II. menſes XI. dies VI.
XXVI. Dioniſius [*ſec. curis* Dionyſius] annos II. menſes III. dies VII.
XXVII. Felix annos II. menſes X.
XXVIII. Eutichianus [*ſec. curis* Eutychianus] annos VIII. menſes X. dies IV.
XXIX. Gajus annos XI. menſes IV. dies IX.

XXX. Mar-

Gloſſariu v. *Domnus*, & Hugo Menardus in *not. ad Concord. Regul. S. Benedicti Anian. cap.* 70. In Diſco veterum Chriſtianorum, qui a Juſto Funtaninio peculiari commentario illuſtratus fuit, legitur DE DONIS DEI ET DOMNI PETRI VIBAS FELIX CUM GAUDIO.

(a) Hygino non Anicetus, ſed Pius ſucceſſit.

(b) Et hic male Anteros præponitur Pontiano.

XXX.	Marcellinus annos VIII. menses II. dies XXV.
XXXI.	Marcellus annos V. menses VII. dies XXI.
XXXII.	Eusebius annos II. mense I. dies XXV.
XXXIII.	Melchiades annos II. menses VII. dies VIII.
XXXIV.	Silvester annos XXIII.
XXXV.	Marcus annos II. menses VII. dies XX.
XXXVI.	Julius annos XI. menses II. dies VI.
XXXVII.	Liberius annos X. menses VII. dies III.
XXXVIII.	Felix annum I. menses III. dies II.
XXXIX.	Damasus annos XVIII. menses II. dies X.
XL.	Siricius annos XV. menses XI. dies XXV.
XLI.	Anastasius annos II. dies XXVII.
XLII.	Innocentius annos XV. menses II. dies XX.
XLIII.	Zosimus annos I. menses VII. dies XXV.
XLIV.	Bonifatius annos III. menses VII. dies XIII.
XLV.	Celestinus annos VIII. menses II. dies IX.
XLVI.	Xystus annos VIII. dies XXIV.
XLVII.	Leo annos XXI. mensem I. dies XXVIII.
XLVIII.	Hilarius annos VI. menses III. dies XVIII.
XLIX.	Simplicius annos XV. dies VII.
L.	Felix annos VIII. menses XI. dies XVIII.
LI.	Gelasius annos IV. menses VIII. dies IX.
LII.	Anastasius annos I. menses XI. dies XXIV.
LIII.	Symmachus annos XV. menses VII. dies XXVII.
LIV.	Hormisda annos IX. dies XVII.
LV.	Johannes annos II. menses IX. dies XVI.
LVI.	Felix annos IV. menses II. dies XIII.
LVII.	Bonifatius annos II. dies XXVI.
LVIII.	Johannes annos II. menses IV. dies VI.
LIX.	Agapitus menses XI. dies XVIII.
LX.	Silverius menses IX.
LXI.	Vigilius annos XVII. menses VI. dies XXVI.
LXII.	Pelagius annos IV. menses X. dies XVIII.

LXIII. Johannes annos XII. menſes XI. dies XXVI.
LXIV. Benedictus annos IV. menſe I. dies XXVIII.
LXV. Pelagius annos X. menſes II. dies X.
LXVI. Gregorius annos XIII. menſes VI. dies X.
LXVII. Sabinianus annos III. menſes V. dies IX.
LXVIII. (a) Bonifatius menſes VII. dies XIII.
LXX. Deuſdedit annos III. dies XX.
LXXI. Bonifatius annos V. menſes X. dies XI.
LXXII. Honorius annos XII. menſes XI. dies XVII.
LXXIII. (b) Severus menſes II. dies IV.
LXXIV. (c) Johannes anno I. menſes IX. dies XVIII.
LXXVI. Martinus annos VI. menſe I. dies XXVI.
LXXVII. Eugenius annos II. menſes IX. dies XXIV.
LXXVIII. Vitalianus annos XIII. dies VI.
LXXIX. Adeodatus annos IV. menſes II. dies V.
LXXX. Donus ann. I. menſes V. dies X.
LXXXI. Agatho annos II. menſes VI. dies IV.
LXXXII. Leo menſes X. dies XVII.
LXXXIII. Benedictus menſes X. dies XII.
LXXXIV. Johannes ann. I. dies IX.
LXXXV. Conon menſes XI.
LXXXVI. Sergius annos XIII. menſes VIII. dies XIV.
LXXXVII. Johannes annos III. menſes II. dies XIII.
LXXXVIII. Johannes annos II. menſes VII. dies XVII.
LXXXIX. Siſinnius dies XX.
XC. Conſtantinus annos VII. dies XV.
XCI. Gregorius annos XV. menſes VIII. dies XXIV.
XCII. Gregorius annos X. menſes VIII. dies VIII.
XCIII. Zacharias annos X. menſes III. dies XIV.
XCIV. Stephanus annos V. dies XXIX.

XCV. Pau-

(a) Librarii oſcitantia omiſſus hic fuit S. Bonifacius IV. qui numero LXIX. collocari debebat.

(b) Qui hic Severus, in aliis Pontificiis Catalogis Severinus appellatur.

(c) Septuageſimus quintus Pontifex Theodorus librarii oſcitantia hic omiſſus eſt.

XCV. Paulus annos x. menſe I.

XCVI. Stephanus annos iiI. menſes v. dies xxvii.

XCVII. Hadrianus annos xxiii. menſes x. dies xvii.

XCVIII. Leo annos xx. [*primis curis* annos x.] menſes x. dies xvi.

XCIX. Stephanus menſes vii.

C. Paſchalis annos vii. dies xvi.

CI. Eugenius annos iiI. menſes vii. dies xxiii.

CII. Valentinus menſe I. dies x.

CIII. Gregorius annos xvi.

CIV. Sergius ſedit annos iiI.

CV. Leo ſedit annos viii. menſes iiI. dies v.

CVI. Benedictus ſedit annos iI. menſes vi. dies xi.

CVII. Nicolaus ſedit annos ix. menſes vi. dies xx.

CVIII. [*Numerus Annorum, dierum, & menſium Pontifi-*

CIX. *catus Nicolai additus eſt in Codice ſecundis curis.*

CX.

I I.

Excerpta ex Codice membranaceo xi. *circiter ſæculi, Caſanatenſis Bibliothecæ, ſignat. E.* 5. 27., *in quo præcipue continetur variorum Canonum collectio, & Romanor. Pontificum Catalogus ſupra memoratus pag.*46. 55. & 144.

xii. Johann. nat.Rom.ex patre Alberico ſedit A.viii[i]. menſ.iv.Iſte denique Johannes infelix quod ſibi pejus tota vita ſua in adulterio & vanitate duxit; cujus temporibus Otto Imp.Romam veniens ab eo honorifice eſt ſuſceptus. Cum quo ipſe Imperator multum decertans, ſed ab errore & nequitia ſua nunquam potuit eum removere.Conſilio namque ipſe Imperator cum ſuis fidelibus inito iterum Romanam veniens, quatenus idem protervus & ſceleratus

leratus Pontifex cum suis Archiepiscopis atque Episcopis recordaret, ut a tali ac tanto scelere resipisceret. Sed ipse iniquus statim quod se suo adventu audivit Campaniam fugiens, ibique se in silvis & montibus more bestiæ latuit. Tunc omnis Romana uno consensu & una voluntate Clerici atque Laici rogaverunt Imperatorem, ut sanctæ matris Ecclesie dignum Pontificem & pium rectorem tribueret. Facta itaque postulatio atque petitio universi populi, tale ad domno Imperatore acceperunt responsum: Eligite quid dignius sit & ego libentissime eum vobis concedam; statimque a cunctis Clericis quam Laicis electus atque expetitus est domnum Leonem virum venerabilem Protoscriniarium summæ Sedis Apostolicæ, ex patre Joanne item Protoscriniario natione Roman. de regione quæ vocatur Clivo Argentarii vir strenuus & omni honestate preclarus. Et consecraverunt eum Rom. Pontificem in mense Decembri in Lateranensi Patriarchio. Qui fecit ordinationes in eodem mense presbyteros VII. Diac. II. Et sedit Ann. I. & mens. III. Et cessavit Episcopatus ejus. Ipso denique vivente iniquum consilium a Romano Populo expertum est. Quemadmodum domnum Leonem foras ejicerent, & sceleratum illum qui in Campaniæ partibus latitabat reducerent. Quod & factum est. Unde maxima famis & ingens persecutio in hac civitate Romana devenit. Quia Dei opitulante clementia prædictus Domnus Leonem sanus & illesus ab hac civitate exivit. Et ibi domnus Imperator cum suo exercitu in partibus Spolitane erat advenit. Quem honorifice a domno Imperatore susceptus est. Statimque armavit milites munivit custodes & contra Romanos maximas insidias præparavit. Qui cum venisset in Ratinam civitatem Romanos ante suam presentiam venere, qui ei mortem sceleratissimi Joannis nuntiaverunt. Et de ele-

ctione

ctione Benedicti Diaconi rogaverunt, sed nichil ab eo optinere potuerunt, talemque ab eo responsum acceperunt: Quando dimisero ensem meum tunc dimittam ut Domnum Leonem Papam in Cathedram S. Petri non restituam. Nuntii vero ipsi reversi sine consensu & voluntate Imperatoris idem Benedictum Diaconum Romanum Pontificem elegerunt. Quod audiens domnus Imperator magis in furore & ira exarsit. Undique circumvallavit Civitatem Romanam, per diversas civitates oppida atque castella cœpit depredare & funditus dissipare. Et in tantam penuriam & captivitatem eam adduxit ut Modium furfuris venundaretur xxx. Denarios. Coangustati autem & afflicti Romani & cum tam pessimum malum sufferre non valentes, innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & domnum Leonem in Romanam & Apostolicam Sedem susceperunt, spondentes ei & Domno Imperatori super corpus B. Petri Apostoli per Sacramentum. Dimisit enim eis quanta & qualia ab ipsis perpessus est mala. Et ita domnus Imperator ab hac civitate Romana in partibus Galliæ secessit. (a)

VIII. Leo predictus natus Rome ex Patre Johanne Protoscriniario de Clivo Argentarii sedit Ann. I. mens. III.

V. Benedictus prefatus nat. Rom. sed. mens. II. d. v.

Ex

(a) Historiam hujusmodi sub Petri Bibliothecarii nomine evulgavit cl. Daniel Papebrochius *in Conatu Historico-Chronologico Rom. Pont. pag.* 160. Et ab Auctore Anonymo sub Cælestino III. scribente inserta fuit in sua *Historia Romanorum Pontificum*, quam ex Codice Monasterii Zwetlensis in lucem edidit cl. Bernardus Pez *Anecdot. Tom. I. Par. III. pag.* 371. Eandem quoque observabis in Catalogo Rom. Pontif. apud Eckartum *Corpus hist. med. ævi T.II. pag.* 1630.

Ceterum, ut probe ait Eminentissimus & Ven. Cardinalis Baronius [*in Annal. ad A.* 963. *num.*40.] *admonendus est lector, quod Scriptores hujus temporis nonnihil visi sunt adulari Ottoni Imperatori favisseque electioni ab ipso Ottone factæ Leonis: quod æque omnes detestati fuerint Joannis Papæ nefanda scelera, juste ipsum abrogatum putaverunt, & scripserunt, re tamen haud funditus perscrutata: ut non mireris si eos legeris favere una cum Imperatore Leoni, in Johannem vero & ejus successorem Benedictum, ut in Pseudo-Pontifices declamare.*

Ex eodem Codice, sed charactere minutiori & diverso atramento, Juramentum Ottonis Regis, postea Imp. I. supra memoratum pag.145.

Domno Joanni PP. Rex Otto per nos mittit & jurat per Patrem & Fil. & Spiritum Sanctum & per hoc lignum vivice Crucis & has reliquias sanctorum, quod si permittente Deo Romam venerit S. R. Ecclesiam & eundem Domnum Joannem PP. & rectorem ipsius exaltabit secundum suum posse, si vivum invenerit; Sin autem, eum qui legabiliter illi succedet. Et nunquam vitam aut membra neque ipsum honorem quem habet, & q. eum habiturus est sua voluntate aut suo consensu aut suo consilio aut sua exhortatione perdet, neque ipse neque aliquis successor ejus. Et nullum Placitum in Roma aut ordinationem faciet de omnibus que PP. & Romanis pertinet sine consilio Domni PP. Et quicquid de Terra S. Petri ad ipsius potestatem venit vel venerit, R. Ecclesie restituet. Cuicumque autem Regnum Italicum committet jurare faciet illum ut adjutor sit Domno PP. & successoribus ejus ad defendendam Terram S. Petri secundum suum posse. Sic adjuvet eundem Domnum Regem Ottonem & hec sancta Evangelia, & hec sacrosancta sanctuaria.

III.

III.

Charta insignis Regesti Sublacensis Monasterii, de quo Muratorius Antiqu. Ital. med. ævi Tom. V. pag. 760.

Ex Schedis v. cl. Dominici Georgii in Biblioth. Casanatensi Fasciculo XXXIV.

Præceptum Ottonis Magni Imp. pro eod. Mon. *Incipit. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis scil. Patris & Filii & Spiritus sancti. Otto Divina favente clementia Imp. Aug.* Petitione *Georgii viri venerabilis ex Apostolice Sedis Secundicerio* (a) *religiosi abbatis prioris Monasterii Beatiss. Benedicti & S. SCholasticæ sororis ejus, quod dicitur in Sublacu,* qui veniens *in gremium Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis, ubi cum Domno Joanne* XIII. PP. *S. Synodo pro* utilitate ejusdem Ecclesiæ & venerabilium locorum intererant, circumsedentibus cum Ravennate Archiepiscopo cum plurimis Episcopis ex Romano territorio atque Italia & ultramontano Regno, nec non presente Capuano Principe, qui Marchio Camerini & Spoletini Ducatus, atque circumstantibus multis ex nostris ex diverse ordine fidelibus & ostensis Domni Caroli aliorumque Augustorum & Regum Principalibus constitutionibus factis ad stabilimentum defensionemque sui ex jusdem Monasteri seu omnium rerum sibi pertinentium, postulavit nostram Clementiam &c.

Signum Domni Ottonis Cæsaris Aug. Ambrosius Cancellarius ad vicem Umberti Episcopi & Cancellarii recognovi & subscripsi. Data 3 idus Jan. Anno Do-

(a) De hoc Georgio mentionem habuimus pag. 46.

Dominice Incarnationis DCCCLXVII. Imperii vero Domni Ottonis piissimi Cæsaris V. Ind. x. Actum Romæ in Dei nomine feliciter.

I V.

Excerpta ex vetusto Necrologio membranaceo, forma quadrata in folio, celeberrimi Romaricensis Monasterii, de quo supra pag. 38.

pag. 2.

MISSA SPECIALITER DICENDA TAM VIVIS Q. DEFUNCTIS UTRIUSQUE SEXUS, QUORUM COMMEMO....... CONTINETUR, VEL QUORUM NOMINA SUBTER SCRIPTA VIDENTUR

AD INTROIT. QVAL. VOL. Exaudi Deus orationem meam. ut sup. IT. AN. Salus populi ego sum. IT. AN. Omnia que fecis.

Majestatem tuam clementissime Pater supplices exoramus & mente devota postulamus pro omnibus his tam vivis quam defunctis utriusque sexus, quorum numerum & nomina tu scis dñe, Qui hunc locum de rebus suis pro amore Dei ditaver. vel suas nobis seu antecessarum nostrar. largiti sunt elemosinas sive qui se in nostris vel illarum commendaverunt orationibus, seu quorum nomina subter in hoc breviario scripta adesse videntur. concede propitius ut hæc sacra oblatio defunctæis profit ad veniam & vivis proficiat ad medellam & fidelibus tuis pro quibus oblatio nostra offertur indulgentia tuæ pietatis succurrat.

LECTIO LIBRI MACHABEORUM

In diebus illis orationem faciebant Sacerdotes &c.

Post

Post Missam sequuntur Nomina Francorum Regum, Imperatorum, aliorumque.

pag. 3.

Gundramni
Hilperici
Chlotarii
Childeberti
Theudeberti
Theuderici
Sygiberti
it. Childeberti
it. Chlotarii
Dacberti
it. Sygiberti
Chlodovei
Hilderici
Pipini
Dagoberti
Balthilde
Caroli
it. Pipini
Carlomanni
Grimoaldi
Drogonis
Grifonis
it. Grifonis
Caroli
it. Pipini regis
it. Caroli Imp.
qui obiit 5 Kl. Febr.
Hludowici Imp.
Hlotarii hludowici
Caroli. hludovvici
Ermentrudis

x. Kl. Oct. Karlomannus. Rex. obiit. Feliciter
vi. Id. ag. mi gra vit de hac luce hlotarius Rex
xviiii. Kl. sep. obiit domnus Ludovvicus Imperator
vii. Id. oct. migravit Karolus Imperator
Luduvvicus Rex
id. ag. migravit ꝗu indebulcus Rex
Arnulphus rex. Luduvvicus. Irmingarde, *& ceteris pluribus* iiii. Kl. Maias migravit Mainard. Arisus. Vermodus Levita.

vi. x. Kl. Madias migravit Vvilherius. Vuinant. Folmario. Walterius. Labertus. Vulterius, Bertrans *&c.*

Nomen Hatthoni Excellentissimi Episcopi.

Nomina Canonicorum Monachorum & Laicorum qui in hoc loco cum Domno Haimono convener.

 pag. 19.

pag. 19.

Nomina abbatum defunctorum sancti Romarici. atque almi patris nostri Amati, una cum consensu patris nostri domini Theodrici, seu matris nostræ religiosissime Deo sacratæ Teotildæ abbatissæ, in hoc monasterio per intervalla temporum successores extiterunt, quorum meminisse orando pro ipsis sacerdotem Dominicis & quibusdam festis diebus decrevimus, recitatis eorum nominibus postquam sacerdos dicit: Memento etiam Domine & eorum nomina qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis: Sed & fratrum quorum nomine in hoc memoriali subter scripta videntur statuimus ipsam hora præces fundendo pro ipsis memorari nec non & in anniversario unius cujusque die censuimus specialiter ad Dominum venientem largitorem præces supplicationum fundere. FINIT.

Missa in Cymiteriis cotidie celebranda pro defunc. sororibus *&c.*

Post Missam sequuntur alia nomina. Deinde pag. 35.

Nomina abbatissarum, que in isto loco fuerunt antequam suscepta ēē Regula Sancti Benedicti.

Mactafledis abba (*Abbatissa*)	Huna abba
Erkhendrudis abba	Alahtrudis abba
Sigoberga abba	Ruothert abba
Gebedrudis abba	Guncia abba
Sevilla abba	Plictrudis abba
Amperga abba	Giltrudis abba
Ermendrudis abba	Ymma abbatissa
Perpetua abba	Vulfrada abba
Wachila abba	(*& posteriori charactere adduntur*
Huna	Theutild. abba Aspin. abbsa)

Hæc sunt nomina sororum quæ ante Regula fuerunt. Arendrudis. Odila. Warendrudis *&c.* IN-

INDEX CAPITUM

PRÆ

PRÆ CETERIS ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 9. lin. 17. fidelemente: lege fidelement. Pag. 13. lin. 26. Saxius: adde (in præf. ad Ptolom. Lucen. Hist. Eccl. p. 748. T. XI. Rer. Ital. Script.) Ibid. l. 3. col. 2. in not. BENEDICTUM: lege BENEDICTI. P. 15. lin. 29. col. 2. in not. Bertinianorum Annalium citatio postponenda est. Pag. 16. lin. 3. col. 1. in not. Luitprandus &c. lege Liutprandus Ticinen. (in Histor. &c. T. II. par. I. Scriptor. Rer. Ital. pag. 718.) Pag. 16. l. 22. consignant: adde, ut inferius dicturi sumus pag. 63, & 64. ibid. lin. 25 patet: adde. Altare huic S. Pontifici dicatum exstat in Basilica S. Mariæ Majoris, in eoque ipse Basiliscum fugans veteri pictura exhibetur, cujus miraculum narratur in libro Pontificali sect. 504. in Leone IV. Pag. 18. l. 15 fatis: lege Fatis. Pag. 17. lin. 15. cap. III. adde pag. 63 & 64. P. 20. l. 8. (post) par. II. P. 50 (adde.) De quo eodem Concilio Auctor libri Pontificalis hæc scribit sect. 545. *Et tunc coram omnibus quadraginta & duo Capitula quæ profecto ad salutem & lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur per Diacones sanctæ & universalis Ecclesiæ Sedis legi præcepit. Quæ etiam capitula ut in futurum ab omnibus illibata serventur post cetera Decreta Pontificum in sanctis Canonibus jussit adscribi; quatenus omnes Episcopi hujus auctoritatis exemplum ante oculos habeant, & suos possint melius instruere & erudire subjectos.* Pag. 21. lin. 7. (b) quod: lege, (b); quod. Ibid. lin. 15. annis 607. & 608. Romanam &c. lege annis 607 & 608 Romanam &c. Pag. 22. lin. 2. præsentia: lege præsentiæ. Ibid. lin. 11. fu ebres lege funebres. Pag. 26. lin. 29. commoratse lege commoratum fuisse.

Pag. 32. lin. 17. Die vero 22. Januarii: adde Anni 966. Pag. 36. lin. 17. scribat: lege scribit. Pag. 42. l. 3. Datum v. Nonas (lege) Datum Nonas Octubrias. Ibid. l. 4. Theophilacti (lege) Theophylacti. Pag. 43. lin. 13. Annus xxxxIIx r lege Annus xxxIx. Pag. 44. lin. 23. THEOPHILACTI: lege THEOPHYLACTI. Pag. 50. lin. 11. τῶ Διβαίνε: lege Λιβαίνε. Pag. 51. lin. 21. præterea: lege propterea. ibid. lin. 33. quoniam non fine: lege quoniam fine. Pag. 53. lin. 24. col. 2. 22. Apr. A. 855. lege 22. Apr. A. 858. Pag. 54. lin. 11. Presbyter: adde & Pater Vincentius Victorius eidem Bibliothecæ Præfectus. Ibid. lin. 17. addita adnotataque: lege additi adnotatique. Pag. 56. lin. 3. Antiquitatum Ecclesiasticarum (lege) Antiquitatum Christianarum. Ibid. l. 18. Franciscus Blanchinius: lege Josephus Blanchinius. pag. 58. lin. 1 n. in not. Gregorius sedit A. xvI. (lege) III. Gregorius xvII. Pag. 59. lin. 1. in not. Sergius sedit A. III. m. I. (lege) II. Sergius III. Pag. 62. l. 25. Χρονοταξις lege Χρονοτάξις. Pag. 64. l. 34. Tom. II. (lege) Tom. I. Pag. 66. l. 14. in not. res habuit: lege res se habuit. Pag. 67. l. 3. Nec Missi usquam memorantur: lege Nec Missus usquam memoratos legimus. Pag. 73. lin. 11. in not. Deusdedit II. vI. vI. lege Deusdedit II. vI. x. Pag. 75. l. 10. X. lege IX. Pag. 79. lin. 5. die 5 Nonas Octubris: lege Nonis Octobris. ibid. lin. 4. col. 1. in not. (a) Dicimus: lege (b) Dicimus. Pag. 87. lin. 14. spectarent: adde, ideoque hujusmodi Nummi *Denarii Papales* appellantur in Juramento quod a Judicibus & Advocatis Urbis Romæ Innocentio II. P. M. præstitum fuit: quamque S. P. Q. R. A. 1188 celebrem illam concordiam cum Clemente III. iniisset, inter cetera fassus est se Pontifici *reddidisse Senatum, Urbem ac Monetam*, quæ injuste jam antea usurpata fuerant, ut videre est apud cl. Fioravantem (*in Antiquis Roman. Pont. Denariis a Benedicto XI. ad Paulum* III. &c. pag. 5. & seqq.). Ibid. lin. 3. possunt: lege potest. Pag. 88. lin. 12. Sed Grimoaldu: lege Quapropter Grimoaldus. Pag. 91. lin. 4. fine tumulatu. lege fine tumultu. Pag. 94. lin. 6. studeatis (a). Adde; & Carolomanno Regi scribens ait, se Legatos ad eum solemniter esse missurum, *cum pagina capitulariter continente ea, quæ vos matri vestræ Romanæ Ecclesiæ, vestroque protectori B. Petro Apostolo perpetualiter debetis concedere.* (Epist. 63.). Pag. 97. lin. 10. cernissemus (a). [Adde] Idemque con-

confirmant Patres Ticinensis Synodi pro electione Widonis in Regem Italiæ congregatæ can. 12. his verbis: *Post obitum recordandæ memoriæ Domni Karoli* [Calvi] *gloriosi Imp. & senioris nostri, quot quantaque pericula huic Italico Regno usque in præsens tempus supervenerint, nec lingua potest evolvere nec calamus explicare* (*Script. Rer. Ital. T.* 13. *pag.*416. viii.). *Pag.*100. *lin.*9. quommodo: *lege* quomodo. *Ibid. l.*17. obtinuit, *Adde* velut ex pluribus Chartis Monasterii Farfensis [*T.* II. *par.* 13. *Script. Reg. Ital.*], aliisque monumentis apparet. *Pag.*102. *l.* 24. Episcopis: *lege* Episcopus. *Pag.*110. *l.* 11. exarari debet. *Adde* Præstantissimam auream Bullam Hlotharii Imp. ex Museo Capponiano mihi humanissime suppeditavit eruditus P. Contaccius, in eaque conspicitur Imperatoris Protome laureato capite, veluti Caroli Magni, Hludovici Pii aliorumque sigilla exhibentur, cum litteris ✝ . . . . . THARIUS AVGVSTVS. Rarissimum hoc Cimelium illustrare possum, quæ eruditissime suo more commentatus est Cangius [*in Glossario v. Bulla aurea*]. *Pag.*112. *l.*22. *designari possint* [Adde] XVIII. *De Nummis sub Joanne Papa & Ottone Imp. cusis. Pag.*116. *l.*3. *col.*1. *in not. pag.*38. adde & 41. *Pag.*127. *l.*22. ꟻ inversæ: *lege* F inversæ. *Pag.*133. *lin.*9. intersecata: *lege* intersectæ. *Pag.* 135. *lin.* 22. adhibita fuerit (*f*). *Adde*. Hujusmodi autem Florum symbolo vel ornamento præcipue delectatos fuisse arbitror Romanos, eo quod in celebri Lateranensis Triclinii Musivo, in quo S. Petrus Vexillum Urbis Carolo Imp. præbens exhibetur, Vexillum illud hisce floribus sparsum & distinctum appareat. *Pag.*136. *l.*9. de *Navia* nunc *Majori* (*b*). [*Adde in notis*]. Hæc tamen in usum Aquaductus primùm constructa fuit, postea in ampliatione Urbis, Muris ipsis inclusa, pro Porta adhiberi cœpit. *Pag.*144. *l.*12. apud Papebrochium: *lege* apud Papebrochium (*c*). *Ibid. l.*21. haudquaquam fiebat: *lege* fiebat. *ibid. l.*22. (*e*): *lege*, (*d*). *ibid. l.*31. (*a*): *lege*, (*e*). *Pag.* 147. *l.* 20. *munificentia* (lege) *honorificentia. Pag.* 149. *l.*20. OTTO. *Adde*, (*d*). *ibid. l.* 24. titulo(*k*): (*lege*) titulo (*e*). *ibid. l.*1. *col.* 1. *in not.* pag. 27. *lege* pag. 77. *Pag.*152. *l.*25. imitari: (*hic adde notam*) Typo hujusce nostri Nummi fere similem observavi in toties laudato Museo Capponiano Nummum quendam argenteum, in quo duorum Impp. Protomæ apparent, quorum is qui a dextris est, barbatus, & Globum Crucigerum manu gestat; alter vero juvenis exhibetur. Ambo Corona Cruce insignita decorantur. In medio Manus ex alto demissa, & sub ea Crux. Ex inscriptione in gyro posita nil aliud legere potui quam ....CON......... Quo facile adducor ad quendam ex Constantinis, qui vII & vIII. sæculo imperarunt, Nummum esse referendam. Ex altera vero parte conspicitur Crux media, Sidus quoddam & litteram *R* intersecans, cum inscriptione VICTOR AVGTO: in Exergo CONOB. *Pag.*155. *l.*13. Bandurius (*b*): *adde* ut præteream & argenteam Constantini Imp. Nummum, quem ex Museo Capponiano paullo ante laudavi, & alios plures qui consuli possunt apud eundem Bandurium. *Pag.* 156. *l.* 8. In quarto Nummum: *lege* in quarto Nummo. *Pag.*158. *l.* 6. Ecclesiæ S. Susannæ: *adde* apud Ciampin. [*Vet. Mon. par.*1I. *tab.*42.] *Ibid. l.* 10. Sangallensis (*b*) (*adde*) & *Sagum* Eginhardus, quem *fibula* adstrictum fuisse tradit: addit vero eundem Carolum *vestitu patrio idest Francico* semper usum fuisse, *excepto quod Romæ semel Adriano Pontifice petente & iterum Leone successore ejus supplicante longa tunica ET CHLAMYDE accinctus, calceis quoque Romano more formatis induebatur* (In vita Caroli M. apud Du-Chesn. *Hist. Franc. Script. T.*1I. *pag.*102.). *Pag.*160. *l.* 26. in poetica: *lege* in postica. *ibid. l.* 27. PETRVS: *adde* In aliis Nummis exhibetur *Veronica Sudarium*, ut apud Floravantem [*in Antiquis Rom. Pont. Denariis tab.*vi. *n.*3. & 4], traditque Grimaldus apud Torrigium (*in Cryptis Vatic. pag.* 447.) repertum olim fuisse in Vaticanæ Basilicæ ruderibus æneum Nummum quadrata forma *habentem in una parte claves decussatas, in altera vultum Salvatoris*; quæ Numismata, aliave hujusmodi (de quibus in Bullario Vaticano *T. I. p.* 82.) ad Peregrinorum pietatem fovendam cudi solebant. An Nummus noster in his censeri debeat ignoro. Hunc porro edidit Floravantes *loc. cit. pag.*3.

APPRO-

APPROBATIONES

JOsephi Comitis Garampii Dissertationem *de Nummo Argenteo Benedicti* III. *&c.* diligenter legi, ut Reverendissimo S. P. A. Magistro P. Nicolao Rodulphio parerem. Tantum autem abest, ut in ea quidquam deprehenderim, quod bonis moribus Decretisque Orthodoxæ Religionis adversaretur, ut potius admiratus fuerim summam Auctoris eruditionem, inque evolvendis explicandisque difficillimis rebus peritiam, quæ Lectoribus magnæ esse possunt utilitati. Quamobrem dignam esse censeo, quæ publicetur.

Dabam in Æd. Minerv. Kal. Aprilis 1749.

F. Thomas Maria Mamachius
Biblioth. Casanat. Præfectus.

JOsephi Comitis Garampii Ariminensis viri Ecclesiasticæ historiæ studiosissimi, Dissertationem *de Nummo Argenteo Benedicti* III. *Pont. Max.* jussu Reverendissimi Patris Nicolai Ridolphi S. P. A. Magistri legi summa animi voluptate. Nam præterquamquod scripta est eleganter, & non mediocriter referta ejus varietatis, quæ Eruditorum animos in legendo retinere possit; illud etiam habet, ut, quod unum deerat ad Joannæ Papissæ confutationem, hoc Benedicti III. argenteo Nummo plane demonstret, nullius alterius inter Leonem IV. & Benedictum III. Pontificatum intercessisse. Itaque dignam censeo quæ publicetur, quum nihil quod Fidei Decretis & bonis moribus adversetur contineat.

F. Vincentius Dinelli Ord. Præd.
Sacræ Theolog. Professor.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magist. Sacri Palatii Apostolici.

F.M. de Rubeis Arch.Tarsen. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Raymundus Palumbi Mag. Soc. Sac.Pal. Apost. Mag. Ord.Prædic.

Mc